

## **Dissertatio medica inauguralis, de hydrope ... / [Donald Monro].**

### **Contributors**

Monro, Donald, 1727-1802.  
University of Edinburgh.

### **Publication/Creation**

Edinburgi : Hamilton, Balfour, et Neill, 1753.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/teyech7b>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

37140/p

[P]

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDROPE:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

*Amplissimi* SENATUS ACADEMICI,

*et nobilissimae* FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DONALDUS MONRO, SCOTO-BRITANNUS.

Ad diem 8 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud HAMILTON, BALFOUR, et NEILL:

M,DCC,LIII.

MANUSCRIPT

HY

316702



1892



D. ALEXANDRO MONRO,

ANATOMES ET CHIRURGIAE

IN ACADEMIA EDINBURGENSI

PROFESSORI;

PATRI OPTIMO,

PRAECEPTORI, STUDIORUM FAUTORI;

HANC

DISSERTATIONEM de HYDROPE,

D. D. D. C. Q.

FILIUS,

DONALDUS MONRO.



D. ALEXANDRO MONRO,

ANATOMES ET CHIRURGIAE

IN ACADEMIA EDINBURGENSI

PROFESSORI;

PATRI OPTIMO,

PRAECEPTORI, STUDIORUM FAVORI;

HANC

DSSERTATIONEM DE HYDROPE,

D. D. D. C. G.

EDIDIT

DONALDUS MONRO.

## De HYDROPE.

1. **Q**UAE CAVA dicuntur corporis animalis, ea omnia repleta sunt vel fluidis, vel solidis, vel utrisque; quibus, mole aut pondere locum sibi parantibus, rigidi aut elastici, aut contractiles cavorum parietes renituntur.

2. Cava autem sunt: 1. Humores in gyrum actos deferentia, arteriae, scil. venae, cor, &c. 2. Humores a sanguine secretos recipientia, eosque extra corpus, vel in cavum majus per vias patulas deducentia, e. g. ductus alimentarius, vesica urinaria, fellea, &c. 3. Liquores secretos recipientia, quibus nullus nisi in cava primae speciei conceditur egressus, ut tela cellulosa, capsulae simplices plurimae. 4. Organis aliis continendis destinata, qualia sunt capitis, thoracis, abdominis, &c. cava. Horum verò superficies interna perpetuo rore, ex vasculis arteriosis stillante, madescit, qui a venosis bibulis osculis resorptus sanguini redditur.

3. Liquida in prima et secunda specie cavorum contenta, ex variis heterogeneis particulis diversae indolis composita, innumero-



rum fere morborum fomites evadunt.—Ob-  
 turatis secundae speciei emissariis, humor a-  
 quam mentiens quandoque in cavis congeri-  
 tur.—Tertia autem et quarta species aquosis  
 praecipue scatent humoribus, quibus, si in-  
 farciuntur haec cava ultra consuetam naturae  
 normam, fit morbus, quem *ὑδροπνη* Graeci vo-  
 cant; cujus phaenomena, causas, varias spe-  
 cies, prognosin, methodumque medendi, per-  
 tractare aggredior.

4. Lympha nimiâ copiâ (§ 3.) cavo inclusa  
 parietes ejus distendit, partesque vicinas com-  
 primit, unde partis morbidae moles aucta,  
 sensus ponderis et gravedinis ingratae atque  
 molestae, functiones vicinorum organorum  
 turbatae. Haec symptomata citius vel ferius  
 manifesta redduntur, et mitiora vel acriora  
 fiunt, pro ratione, 1. Vis majoris vel mino-  
 ris quâ distentioni suae renituntur parietes ca-  
 vi in quo continetur aqua. 2. Celeris aut tar-  
 dioris repletionis ejusdem ab infusa lympha.  
 3. Majoris aut minoris sensus parietum cavi. 4.  
 Vicinorum organorum sensus, nobilitatis, &c.

5. Aqua ipsa limpida colorem partium, intra  
 quas continetur, non mutat; ubi igitur partes  
 hydropicae inter oculum et lumen oppositum

lustrari



lustrari possunt pellucidae cernuntur. Lympha autem non semper pura in cavum infunditur; subviridem enim et subcruentam saepius vidi; imo, lacti similis quandoque apprehenditur (a): pelluciditati igitur non nimis fidendum est.

6. Aqua in parte molli collecta, digitis palpata, cedit, sensumque liquidi subtus moventis praebet. Verum quando parietes densioris et strictioris compaginis sunt, vel cava humore repleta plurimum distenduntur, vel ubi minor aquae copia cavo inest, motus undulatorius liquidi fluentis vix sentitur.

7. Tenuiore humoris extravasati parte a venis resorpta, spissatur reliquum in mucum vel gelatum, unde et oculo et manui diversam ab aqua speciem praebet.

8. Quae in aqua hydropica macerantur organa, laxiora et debiliora deveniunt: si vero stagnatione corrupta fiat intus aqua, partes vicinas erodit, et humore acri in sanguinem resorpto nascitur febricula, convulsio, aliaque acrioris sanguinis symptomata.

### 9. Variarum

(a) Hist. de l'Acad. des Sciences, 1700 & 1710.— Bassii observ. med. Dec. 2. obs. 7.



9. Variæ admodum sunt hydropis CAUSAE, præcipuas nunc recensere licet.

10. Harum primaria est fibrarum debilitas et laxitas; deficiente enim vi vasorum, liquida nostra in aquosum laticem degenerant, et arteriarum exhalantium oscula patula majorem liquidorum copiam in cavitates transire patiuntur, dum venae minus resorbent. Multis autem modis hæc debilitas inducitur; e. g. evacuationibus quibuscunque nimis, præcipue vero sanguinis (*b*), — tenui aquosa diaeta (*c*) — morbis vires exhaurientibus, aut totius corporis (*d*), aut organi cujuscunque (*e*).

#### 11. Sanguis

(*b*) Anasarca a diurno mensium profluvio, *Forrestus, lib. 19. obs. 35.* — Hydropes hypofarci duo, ab hæmorrhagia narium crebra atque diurna, *Schenk. obs. lib. 3. de hydrope, obs. 9.* — Post vomitum 18 librarum sanguinis hydrops ascites, *River. obs. commun. 15. p. 556.* — Leucophlegmatia post abortum trimestrem ex evacuatione magnæ copiae coagulati sanguinis, *Hoffman. oper. tom. 3. cap. 14. de hydrope, obs. 3.*

(*c*) Foemina juvenis, cum infantem suum lactaret, ad lac augendum, interdium et noctu cerevisiam modo simplicem, modo lacteatam, immodice ingerebat, ascitem immanem contraxit, *Willis pharm. ration. part. 2. cap. 3. § 2.* — *Schulzius* pulcherrimum recitat experimentum, cani scilicet forti extrahas sanguinem fere ad deliquium animi, et tum facias ut ingurgitet aquae magnam copiam, fiet celer hydropticus. *De elast. effect. in Haller. disput. anat. vol. 3. p. 670.*

(*d*) Leucophlegmatia post febrem quartanam, *Hoffman. tom. 3. cap. 14. de hydrope. obs. 2.* — Hydrops hypofarcus ex longo prius morbo, ventris deinde fluxu, *Forrest, lib. 19. obs. 36.* — Quotidiana hujusmodi exempla prostant.

(*e*) Hydrocele ab ictu in ephippium, *Turner's Surgery, vol. 1. p. 229.* — Hydrops ascites ab ictu in dextrum hypochondrium, *Mead. monit. c. viii.* Tumor oedematofus pedis ex luxatione ossis calcis, *River. cent. 3. obs. 75.*



11. Sanguis non satis a fero aquoso per secretoria solennia repurgatus luculentum hydropis fomitem praebet, qui enim expellendus erat humor qua data porta ruit (*f*).

12. Quidquid libero sanguinis motui in vasis majoribus obstat, pro causa hydropis agnoscenda debet, tali enim obice posito, infarciuntur vasa minora, tenuiorque sanguinis pars, per laterales ramos secedens, oscula in cava hiantia pandit, ibique effunditur; unde regressus denegatur per venas, vi absorbente tali in casu privatas, hinc asciticorum et mulierum gravidarum crura oedematosa, hinc frequentes admodum hydropum historiae a polypo (*g*), schirrhis (*b*), vomicis (*i*), tumoribus  
vel

(*f*) Anasarca ex suppresso fluxu menstruo, *Forrest. lib. 19. obs. 34.*— Ascites ex haemorrhoidibus restrictis, *ibid. obs. 39.*— A suppressis copiosis sub ipsis poplitibus sudoribus assuetis, *Aët. phys. med. vol. 5. obs. 2.*— Venter aqua repletus, ab utroque rene muco referto, *Bonnet. sepulch. anat. lib. 3. § 21. obs. 8. § 7.*— Ascites a rene sinistro ulcere consumpto et dextro calculo omnino obstructo, *Bartholin. epist. cent. iv. epist. 17.*

(*g*) Hydrops pectoris et abdominis ex polypo in utroque cordis ventriculo, *Ephem. German. dec. ii. ann. vi. obs. 232.*— Ascites ex polypo in utroque cordis ventriculo, *Bonnet. sepulch. anat. lib. iii. § 21. obs. iii.*

(*b*) In *Bonnet. sepulchr. anat. lib. 3.* Quamplurimae recentur historiae hydropis ex schirrhis viscerum.— Ipse multa exempla vidi hydropum ortum ducentium ab hepate, liene, pancreate, ovariis, &c. schirro occupatis; recentem eamque rariorem enarrare juvat.— *Macdonald* miles, febre quartana in Flandria detentus, tumorem hypochondrii sinistri sentiebat, totumque postea intumuit abdomen. In patriam rediit, et in nosocomium receptus, obiit. Lien schirrosus, et hydatibus obsitus, 126 uncias pendebat.



vel aliis quibuscunque causis vasa majora vel obturantibus vel obfidentibus (*k*).

13. Quicquid liberum sanguinis transitum ex arteriis in venas impedit ὑδροπικς causa esse potest. Saepius igitur inducitur hicce morbus a victu viscidior et tenaciori quam ut viribus vitae in bonum succum mutari possit (*l*), ab aere frigidior humido (*m*), exercitio vehementi

(*i*) Hydrops pectoris ex vomica pulmonis, *Schenk. obs. lib. 2. de pectoris hydrope, obs. vi.* In thorace plerorumque ex phthisi pulmonali mortuorum plus minus aquae semper ferre deprehendi.

(*k*) Hominis cadaver hydrope universali defuncti anno 1750 dissectum, praesente J. Rutherford, M. D. celebri in hac academia professore, ubi non alia inventa est hydropis causa, quam valvularum mitralium cordis sinistri ossificatio, unde adeo restrictum fuit sanguinis iter, ut digitum minimum vi impulsum vix reciperet ostium ventriculi. Cor praegrande fuit. Dum inter vivos esset homo, a singulis cordis ictibus elevabantur adeo omnes colli partes, ut ipsae venae pulsare viderentur.— Similem historiam legere licet in *Peyer. bist. anat. medic. c. vi. citat. a Kemper de valvular. natura, in Haller. disput. anat. vol. 2. p. 107.*— Hydrops pectoris cum asthma, dyspnaea, defectu pulsus et lypothymia, ob valvulas cordis semilunares ossneas, viam sanguinis omnino occludentes, *Ruyfch. obs. 69.*— *Lowerus* pulcherrimum experimentum instituit ad hanc hydropis causam comprobendam; hic enim in vivo animali venam cavam inferiorem canis filo constrinxit, eoque vinculo relicto, animal intra paucas horas exspiravit. In abdomine magna feri quantitas conspiciabatur, non aliter quam si ascite diu laborasset; et ex ligatis venis jugularibus caput oedematofum factum est. *De corde, cap. 2. p. 128.*

(*l*) Aqua et in pectore et in abdomine a victu pravo et vita sedentaria, *Hoffman. tom. 3. de hydrope, obs. vi.*

(*m*) Hydrocephalus externus ex frigore, *Binningeri obs. cent. 1. obs. 94.*



hementi diuque continuato (*n*), nimio usu liquorum acrium fermentatorum (*o*), ab ipsa denique longaeuitate, omnigenas fibras rigefcente, vasa minora arctante.

14. Postquam ab anatomicis detecta fuere vasa lymphatica, vulgo sic dicta, plerique de hydrope scriptores hujusce morbi originem a dilatatis vel ruptis vasis lymphaticis deduxere; etsi quantum novi, ne vel una prostat hydropis historia, in qua describuntur, aut venarum lymphaticarum hydropis materiem supeditantium decursus, aut indicia talium vasorum, vel ruptorum, vel ab aliis partibus divulgatorum; et saepissime repertae sunt hydatides vel vesiculae aqua refertae, ubi nullae adhuc dum ab anatomicis detectae sunt venae lymphaticae, uti in cavo uteri (*p*), inter tendines musculorum transversalium abdominis et peritonaeum (*q*), in ovarii cavo (*r*). Non tamen

(*n*) Hydrops pectoris ex exercitio nimio violento, *Willis pharm. ration. part. 2. § 1. cap. 13.*

(*o*) Hydrops pectoris lethalis a copioso potu spirituum et frigore, *Hoffman. tom. 3. de hydrop. obs. 7.*— Et sagacissimus *Sydenhamus de hydrope* merito pronuntiat bibacissimos quoque helluones saepius hoc morbo, quam caeteros mortales conflictari.

(*p*) *Ruysch. obs. anat. chir. obs. 33.*

(*q*) *Mead. monit. med. cap. viii.*

(*r*) *Houston Philos. transf. No. 381. § 3.*



tamen negaverim tales posse evenire casus, quum legerim ductum thoracicum perforatum aut ruptum, liquorem lacteum in hydrope pectoris suppeditasse (s); et, ex comparato hocce liquore cum materia hydropis ascitici lactei, concludere fere licet et vasa lactea quoque aliquando rupta fuisse (t). Extant etiam

(s) Circa tertiam vel quartam vertebam thoracis hominis mortui post paracentesin thoracis institutam, qua exitus praebeatur largae chylosi liquoris copiae, foramen inventum est, e quo, tanquam e fonte, chylosa materia effluxit. Quum detegebatur pars inferior ductus thoracici e receptaculo lumbari emergentis, flatus in eum tubulo immissus, inopinate per praefatum foramen egrediebatur. Liquor albus non a spiritu vitrioli sed sale tartari in coagulum abiit. *Bassii obs. dec. 2. obs. 7.*

(t) Puella nimium enixa dum onus sublevare tentaret, brevi postea hydropica devenit; ex punctura saepius repetita effluxit semper chylosa materies, spissitate, colore, gustu, lacti salito haud absimilis, quae et igni imposita, lactis instar rarefcens in vase elevaba ur; et sale tartari, non vero acidis, in coagulum abiit, ut in historia jam memorata *Bassii, Memoires de l'Acad. des sciences, 1700.*— Similem historiam legere licet. *ibid 1710.*

Ut dignoscerem, an liquor hic hydropicus chylus esset; canis vivi bene pasti ductum thoracicum filo constrinxi, receptaculum chylo turgidum aperui, emissus chylus gustu serum lactis pauxillum salitum referebat; intra minuti quadrantem in coagulum spissum, amylo aqua diluto simile, serumque liquidum secessit, talis erat etiam eventus a chyli portione in aquam tepidam emissi: quater repetita sunt haec experimenta eodem cum eventu. In oleo tartari per deliquium chylus turbidus et limosus deveniebat; in spiritu cornu cervi nubeculam glutinosam exhibuit; in spiritu vitrioli coagulum album, sed minus tenax; in alcohole et oleo terebinthinae, in coagulum adigebatur.



etiam exempla sacci hydropici rupti aliam hydropis speciem efficientis (u)

15. Obturatis orificiis aut ductibus ex cavis fero madidis, hydrops in cavo fit, inde hydrops uteri, hydrogloffum; sed dubius haesito an hydropi accensendae sint, vel retentio in receptaculis, vel effusiones ab iis in alia cava, humorum alio quam aquae terosae nomine insignitorum e. g. urinae (x) bilis (y), &c.

16. Hauritur PROGNOSIS in hydrope, ut in aliis quibusque morbis, ex loco affecto, morbi causa et duratione, symptomatibus, aetate, viribus, atque habitu aegri, quae omnia hic speciatim dicere non licet.

17. Ex dictis haecenus de hydrope deducuntur tres nunc memorandae INDICATIONES

1. Tollenda est causa morbi.
2. Aquae ex cavis educendae sunt.
3. Cavendum ne recidivus fiat morbus.

B In

(u) Hydrops ascites ab hydropico tumore abdominis rupto, *Medical essays, vol. v. p. 2. art. 64.*

(x) Vide historiam ventris humore distenti a vesica urinaria disrupta. *Plateri prax. lib. 3. cap. 3. citat. a Bonnet. in seculis. anat. lib. iii. § 21. of. 20.*

(y) Vide *Memoires de l'Acad. de chirurgie, tom. 1. p. 155. &c.*



In primo et secundo indicato comprehenduntur quaecunque ad morbum abigendum conferunt, atque ut peragatur vite therapeutis, utrumque simul scopum attingere annitendum est; ut vero res clarius agatur, de singulis separatim differendum.

18. PRIMA INDICATIO elicienda ex § 10, 11, 12, 13, 14, 15, ubi causae hydropis enumerantur, ut singulis obviam eamus.

19. Si a solidorum laxitate et debilitate hydrops ortum ducat (§ 10.), fibrae roborandae, i. e. augendus est nisus particularum in contactum, atque vis vasorum elastica et contractilis.

20. Haec autem corroboratio obtinetur.

a. Nutrimento boni succi coctaque facili, et abstinentia a potu (z). “Cibus, ait *Celsus* (a), esse debet ex media quidem materia, sed tamen generis durioris. Potio non ultra danda quam ut vitam sustineat, optimaque est quae urinam movet”. Panis bene fermento subactus et biscoctus, vel aromatibus conditus, ova, carnes durioris generis, pro cibo

(z) Vide exempla hydropicorum sanatorum per solam abstinentiam a potu, in *River. obs. con. mun. a Jacoz. obs.* 21. — *Schenki obs. lib. iii. obs. 3.* — *Mead monit. med. cap. viii. p. 143.*

(a) *Lib. 3. cap. 21.*



cibo primaria sunt; pro potu vero vinum generosum, vel cerevisia in quâ amara infusa fuerant.

β. Frictione cuti admota et exercitio. Vectiones in rheda, navi, super equum, ambulationes, cursus, vomitus, et id genus alia, sanguinis motum augent, pendula viscera concutiunt, partes sibi invicem affricant, appriunt, ideoque inter roborantia principem sibi locum vindicant; sed in eorum usu cautela opus est, si enim fortius adhibeantur, quam facile fert natura, nisum particularum in contactum, et vim vitae minuunt, debilitant; sint ergo frictiones et exercitia pro ratione virium (b).

γ. Leni compressione: pressura enim distractionem fibrarum et augmentum laxitatis impedit, quin etiam nisum particularum in contactum adjuvat, auxilium igitur in sanando hydrope quandoque optimum praebet (c).

δ. Reme-

(b) Hydrops ascites sanatus a labore assiduo, sine ullis medicis auxiliis. *Marcell. donat. hist. mirab. lib. 1. cap. 21. cit. a Schenkio, lib. iii. de hydrope insper. event. liberat. obs. 1.*— Joanni Blanch negotiatori Parisiensi, in Angliam profecto, hyeme, tumor cum miraculo quodam subsedit, evanuitque morbus, nec rediit, *Holler. obs. et schol. lib. 1. cap. 39. p. 279. de morbis internis.*

(c) Hydrocephalus sola fascia curatus fuit. *River. obs. comm. a Formio, obs. 6.*



δ. Remediis stimulo organa sensilia in orga-  
 sasmus contractilem cogentibus, five 1<sup>mo</sup>.  
 oleo subtili acri praecipue impregnatis; hujus  
 generis sunt *nux moschata, macis, piper, semen*  
*anis, corvi, cortex canellae albae, cinamomi,*  
*winterana, herba menthae, melissae, radix valeri-*  
*anae silvestris, zinziberis, camphora, &c.*—  
 2<sup>do</sup>, Ex amaro stimulante et astringente con-  
 flatis; qualia sunt *flores chamaemeli, summitates*  
*centaurii minoris, absinthii, cardui benedicti,*  
*cortex Peruviana, radix calami aromatici, gen-*  
*tianae, &c.* 3<sup>tio</sup>, Gummi atque refinis odo-  
 ris; qualia sunt *gummi assafoetida, benzoi-*  
*num, myrrha, &c.* 4<sup>to</sup>, Salinis acrioribus;  
 talia sunt sales qui volatilium nomen au-  
 diunt, e. g. *sal volatile cornu cervi, salis*  
*armoniaci, &c.* et sales alcalcini fixi, e. g.  
*sal absinthii, genistae, tartari, &c.* 5<sup>to</sup>, Sa-  
 le acri et oleo constantibus, *semine sinapi, fo-*  
*liis nasturtii, radice raphani rustici, simili-*  
*busque.*

Haec omnia, inquam, dosi legitima vel  
 interne vel externe adhibita, oscillatorias fi-  
 brarum vires restituunt, augent, (d).

ε. *Ferrum,*

(d) Mulier 30 annos nata, hydrope anasarca et ascitide  
 simul laborans, per infusionem summit. absinth. et baccar.  
 juniper. quae urinam movebant, sanitati reilituta fuit. *Hei-*



ε. *Ferrum*, ex eoque parata varia, medicamentum roborans potentissimum esse, et hydropi convenire apud omnes in confesso est, licet ejusdem modus operandi ignoretur.

ζ. Quae sola adstringente virtute gaudent, *alumen, cortex quercu, granatorum, &c.* fibrarum quidem rigiditatem et contractionem quandam etiam mortui animalis adaugent, sed vix satis ad ultima vasorum extrema penetrant, ut nostro proposito sufficiant, et si humoribus nostris admisceantur, coagulum inducunt, vasa obstruunt. Leniora vero adstringentia, stomachica dicta (ad δ) bonos facius effectus edunt.

η. Balneum frigidum, quod tantum boni praestat in plurimis aliis morbis a laxitate fibrarum pendentibus, plerumque hydropicis nocet, resorptionem aquarum impediendo. Bene igitur *Celsus* (e), “balneum rarum res amat, humorque omnis alienus est.”

21. Si non satis a sero aquoso per solennia excretoria sanguis repurgetur, indeque oria-

tur  
*ster in Haller. disput. anat. vol. vi. p. 713 — Leucophlegmatia post abortum ablata usu stomachicorum amarorum, interpoliti, paucis cathartici dosibus Hoffman. vol. 3. cap. 14. de hydropo, obs. iii — Miles hydropicus sanitati restitutus solo decocto tanacetii. Miscell. curios. dec. 2. ann. ii. obs. 112.*

(e) Lib. iii. cap. 21.



tur hydrops (vid. § 11.), referenda erunt haecce excretoria. Varias autem methodos, quibus efficitur talis referatio, describere oportet, quum de secundo indicato differemus; quare et nunc de hisce verba facere animus non est. Unicum tantum monitum necessarium duco; nempe, si subito obstruantur excretoria, aegerque robustus aut plethoricus sit, omnino mittendus est sanguis; a plenitudine aut orgasmo enim infarcta vasa hac methodo sola, tuto, cito, et jucunde liberantur, uti quotidiana experientia docet.

22. Stricturae et tumores, majores venas comprimentes, talesque hydropis causae (§ 12.) medicamentis singulis accommodatis, vel manu chirurgi tollendae sunt, si id fieri potest: sed proh dolor! quid plerumque medicina valet in curandis scirrhis, steatomatibus, vomicis, polypis, similibusque fonticis morbis, in tribus cavitatibus largioribus, capite sciz. thorace et abdomine. Si quid autem solatii miseris adferri potest, id tantum petendum ex cognita singuli morbi therapeuti, quae hujus loci non est.

23. Quarta a nobis recensita hydropis causa (§ 13.), obstructio sciz. arteriarum minorum, ortum ducit vel ab infarctis crassioribus liquidis



liquidis vel ab arctatis vasis ; huic igitur causae ut obviam eamus, resolvendi sunt humores isti crassi, et dilatanda sunt vasa.

1. Resolvuntur humores crassiores vel diluendo vel attenuando.

*α.* Dilutio quae fit admiscela tenuiorum liquorum aquosorum, vetita est, quum latitem aquosum auget.

*β.* Attenuantur humores vel spontaneo, vel vi facto secessu particularum in minores particulas.

*γ.* Spontaneus secessus fit auferendo vim condensantem, quae vel a tergo est, vel particulas amplectitur, i. e. vim et impetum circulantis sanguinis, vel contractilem vasorum actionem.

*δ.* Si igitur nimium fit sanguinis in gyrum acti momentum, ut saepius in juvenili corpore invenitur, mittendus est sanguis, etsi hydropis indicia manifesta jam sint (*f*).

*ε.* Violenta

(*f*) Homo robustissimus, annum aetatis 30 agens, in hydropem anasarcam incidit, obstructi sunt nervi optici, et sensim caecus factus est. Haemorrhagia ex nare ad quatuor usque libras, brevi sanitati restitutus fuit, praeterquam quod caecitate non penitus liberatus est. *G. Fab. Hildan. obs. cent. 1. obs. 50.*— Homo hydropem simul cum febre laborans, haemorrhagia narium quotidie bis aut ter per tres septimanas continuata, multum inde levabatur, et detumescere incipiebat, morbus deinde omnino pellebatur sudorificorum atque diureticorum



ε. Violenta attenuatio tentanda est primo, cibo aridiori, sed coctu facili, qualem in § 20 proposuimus. Potus autem sit attenuans, resolvens, e. g. *vinum Rhenanum cum aqua clausa S. adana* vel *Pyrmonterfi*, &c.

ζ. Frictiones et exercitia, § 20. β descripta, cohaesiones liquorum solvunt, viscidis igitur resolvendis aptissima sunt.

η. Stimulantium, § 20. δ est et vis attenuans, quae liquores nostros per vasa transire idoneos reddit.

θ. Si viscidior, quam qui recitatis medicamentis cedat, sit humoris obstruentis indoles, cuneis *mercurialibus* diffringendus est humor, caute tamen procedendum in hydrargyri usu, ne vasa ipsa atterantur aut disrumpantur.

24. Contractio vasorum, a rigiditate inducta, hydropis causa difficillimae curationis est: quae enim laxant vasa, hydropem augent; sed morti non committendi sunt tales aegri; praestat anceps quam nullum tentare remedium.

α. Diaeta sit lenis, mollis, laxans, non autem aquosa, talis ex pane biscocto, carne juniorum

ticorum usu *Miscellan. curios. dec. 2. an. iii. obs. 170* — Vid. in *Mead. mor. me. cap. vii.* historiam hominis, quem *Sponius* viginti venaectionibus sanatum vidit.



niorum animalium cocta, gelatis ex iisdem carnibus, ovis, forbilibus, lacte asinino et similibus confici potest.

*b.* Olea blanda cuti illinita et affricata, si ad interiora penetrant, ut vulgo creditur, ad emolliendum multum conferrent.

*c.* Aqua tepida, vaporque aquosus, rigiditati optime medetur, at in casu, de quo nunc fermo est, cautissime in auxilium vocari debent, ne aquam nimiam sanguini suppeditando aquosum laticem augeant. Quae autem aquae impregnatae sunt particulis mineralibus sulphureis, martialibus, salinis, penetrantibus et resolventibus, ut *marinae*, *Aquisgranenses*, *Bathenses*, &c. adhibendae, (*g*).

C

*d.* Excre-

(*g*) “ Alii vero non absurde etiam aquae marinae vaporantionem probant adhibendam, quò sudores provocentur: in-  
 “ quiunt enim, implendum solum aqua marina ferventi, tum  
 “ quadrangulam compaginem immittendam praeligatam lo-  
 “ ris, in quam erit includendus aegrotans; sed praeliganda  
 “ compago pelle ut aquae prohibeat ingressum, quo exhalatione  
 “ vaporis calefactus aegrotans in sudorem venire cogatur. Sed erit  
 “ aqua calefacienda innovatione frequenti, ferri candentis, immissione  
 “ massarum.” *Caeli. Aurelian. de morb. chron. lib. 3. cap. 8.*— Comitissa de Keglewich hydrope  
 “ uteri tentata, octavo balneationis die in thermis inferioribus  
 “ Styriae in Neuhaus a morbo liberata fuit, magnâ humoris foetidi  
 “ saburrâ una cum copiosis flatibus ex utero evacuatâ. *Miscellan. curios. Dec. 3. an. 5. & 6. obs. 162.*— Sartor quidam  
 “ ascite vexatus, epota magna copia aquarum Wisbadensium, in balneo  
 “ tumor subsidere incipiebat: balneo egressus debilis valde fuit, et  
 “ cordialibus, cibo atque potu reffectus, ab hoc



d. Excretiones aquosae per urinam, cutem, &c. promovendae sunt; non quidem ingurgitando aquosa aut acria stimulantia; illa enim hydropem, haec autem rigiditatem augent; sed lenioribus diureticis, diaphoreticis, &c. dictis.

25. Si receptaculum aut vas ruptum hydrophis materiem suppeditet, (vid. § 14 & 15.) vix novi quid auxilii ab arte petendum, nisi medicamentis aut manui chirurgi detur accessus, quo foramini ipsi applicentur obturantia, consolidantia, ligaturae, et quae caetera dicitur chirurgia.

26. Ut INDICATIONI SECUNDAE satisfaciamus, educendae sunt aquae ex hydropico cavo, vel per vias naturales, vel per aperturas arte factas.

27. Viae naturales, quibus humor hydropticus educitur, paucis exceptis casibus, sunt tantum venarum extrema absorbentia, quorum igitur vis tantum augenda, ut venae plus reorbeant quam arteriae effundunt.

28. Absorptio augetur remediis quibus robur et vis vitae instauratur, de quibus superius in § 20. egimus.

Si

hoc die convaluit. *Ibid. Dec. 1. an. 2. obs. 218.*— Historiae sex hydropicorum ab aqua Bathensi sanatorum. *Pierce's Bath memoirs, part 2. chap. 4.*



29. Si vero sanguini admisceatur superflua illa aqua hydropica, quamprimum foras expellenda est, ne iterum cavo hydropico infundatur. In hunc finem adaugendae sunt excretiones serosae et aquosae.

30. Excretiones hae fiunt nunc ex ventriculo, nunc per alvum, nunc per iter urinae, aut cutem, vel ex salivalibus organis. Medicamenta quibus singulae perficiuntur, *emetica, cathartica, diuretica, diaphoretica et sialogoga* dicuntur. In quorum exhibitione observare licet, hydropicorum plerorumque fibras laxiores, ideoque insensiliores, stimulo egere fortiori quam in plurimis aliis morbis.

31. EMETICA non tantum motum, eumque fortem, omnium fere musculorum excitant, vasorumque oscillationes augent, quibus concutiuntur, comprimuntur organa, rapidus cietur liquidorum motus, viscidiores resolvuntur eorum partes, sed et stimulo emeticorum ex ore, faucibus, et ventriculo humores pituitosi eliciuntur. Emeticorum classes, fortio-  
riorem nempe *vinum emeticum, turpethum minerale, tartarum emeticum, &c.* mitiorem *ipe-  
cacuanham, rad. scillae ejusque praeparata, &c.*  
lenissimam *vitriolum album, infusa herbis a-  
maris,*



*maris*, familiaque, nemo in medicina tam hospes est qui ignorat (*b*).

De emeticis autem notandum, usum eorum vix convenire aegris haemorrhagiae obnoxiiis, in lethargi aut apoplexiae periculo versantibus, dyspnoea gravi ex materia tenaci laborantibus.

Emetica, parva et repetita dosi vomitum non ciente, exhibita, per alvum, urinae iter et cutem, profluvium quandoque humoris eiecere.

32. CATHARTICA pulsum prius accelerant quam ventrem agitant, stimulo aquam in intestina alliciunt, ex alvo detrudunt, simulque sanguinis compagem solvunt, et aquosam reddunt. Horum alia fortissima hydrogoga dicuntur, qualia sunt *elaterium*, *gambogia*, *scammonium*, *jalapa*, *succus iridis nostratae*, &c. Mitiora sunt *folia sennae*, *syrupus de rhamno*, *radix rhei*, &c. Mitissima, *sal catharticum*, *crystalli tartari*, *tamarindi*,  
*prunae*

(*b*) Adulescens asciticus; binis vomitionibus spontaneis, magna vi aquae profusa, liberatus fuit. *Marcel. Donat. Hist. mirab. lib. 4. c. 21, citat. a Schenquio, lib. 8. obs. 5. hydr. insp. event. liberat.*

Une religieuse ayant une hydropisie, fut gueri apres plusieurs ponctions par l'usage de vomitifs, tous les autres remedes ayant été inutiles. *Du Verney. Memoir. de l'Acad. de sciences, 1703.*



*prunae*, et similia, quae raro hydropicis adhibentur.

Cathartics addere licet *hydrargyrum*, praecipue plurima ex eo praeparata, quae per se alvum movent, et cathartics adjuncta effectus eorum augent; talia sunt *mercurius melle aut sapone subactus, praecipitatus dulcis, aquila alba, &c.* (i).

Si ex purgantium usu frequens non feratur humor, morbusque inde nullum capiat levamen, malum augent; et, “ubi fractae vires, nocet vehemens per alvum purgatio, quo enim plus humoris e corpore ejicitur, eo major ipsius copia brevi in cavitates refluit,” uti bene monet sagacissimus Mead (k).

33. Per DIURESIN optime, et sine magno virium dispendio, latex aquosus foras ejicitur. Dolendum autem, incertae virtutis esse omnia ad hoc propositum destinata, quae varia, eaque valde diversa sunt, dum interea plerique hydropici infrequentem, crassam, rubicundam

(i) Vidi in nosocomio Edinensi, anno 1750, hominem, A. Bruce (quem tractavit medicus sagax J. Rutherford, M. P. P.) hydrope universali laborantem, ex quo aqua omnis foris ejecta fuit, repetito hydragogorum usu; integre tandem sanitati restitutum medicamentis roborantibus atque exercitio. Vix opus est multa hujusmodi exempla proferre; apud omnes enim auctores reperiuntur.

(k) Mon. med. cap. viii.



bicundam emittunt urinam, cujus paucitate morbus intenditur.

*α.* Tenuiores largiores potiones urinae quidem copiam augent, sed et solida laxant, et aqueum saepissime ministrant hydropi augendo fomitem; merito ergo plerumque prohibetur in hoc morbo eorundem usus; bonos tamen effectus aliquando, licet rarius, edidere (*l*).

*β.* Salibus neutris, nitro, tartaro vitriolato, &c. acidis, succo limonum, tartaro, aceto, spiritu vitrioli, nitri, aliisque, quae circuitum sanguinis tardiozem reddunt, sensumque frigoris aegro imprimunt, ea potius anteferenda sunt, quae vasa stimulando vim vitae augent, et si refrigerantia in usum vocantur, antidoto stimulo admisceantur.

*γ.* Quae § 20. *δ.* stimulantia recitavimus ea omnia diuresi promovendae saepius, et optime inserviunt, praecipue salina (*m*),

#### *δ.* Effectus

(*l*) Post incassum adhibita chalybeata, terebinthinam, aliaque diuretica. decocto sassafras bis in die, urina copiose fluebat, monialis 60 ann. hydropes liberatus. *Ephem. Germ.* 1715, cent. 3 & 4, *obs.* 28.

(*m*) Foeminae nobili 50 annorum, hydropes ascite laboranti, post ter emissam aquam, et frustra medicamenta purgantia et diuretica adhibita, anicula persuasit, ut singulis diebus, mane et vesperi, cochleare plenum seminum sinapi non contusorum devoraret, decoctique summitatum viridium genistae semilibram



δ. Effectus fimiles iis, sub γ memoratis, expectandi sunt ab usu balsamorum naturalium, v. g. *terebinthinae*, *balsami copaibae*, *tolutani*, *Peruviani*, &c. ut et animalium quorundam *millepedum*, et exiguae *cantharidum* quantitatis (n).

ε. Diureticis jure merito accensendus est Proteus ille *mercurius*, qui per se vel diureticis admixtus, efficacissimum evadit quandoque medicamentum urinam movens (o).

ζ. Cathartica, § 30. alvum exonerantia urinae copiam etiam expellunt, et diureticorum vires intendunt; ergo simul vel alterne cum diureticis dantur.

Si medicamina in hacce § 33. memorata, aquosas secretiones non augeant, aegro nocent:

femilibram insuper biberet. Post triduum levamen sensit: alvum interdum duobus aut tribus diebus continuis movebat id medicamentum, et urina quotidie ad libras minimum quinque aut sex profluxit: persistit in his neque rediit morbus. *Mead mon. med. cap. 8.*— Homo juvenis, robustus, post quartanam in anasarcam incidit; aderat respiratio difficilis, et urinae paucitas: huic aegro dedi infusionem amaram, et pilulas diureticas ex nitro tart. crystal. bals. tolut. et sapone venet.; ex quorum usu libere fluebat urina, et homo sanitati restitutus est.

(n) Ab homine hydrope simul cum quartana laborante, usu sp. terebinth. scrupuli unius omni die cum *tinct. Bezoard.* cum coral. r. et gut. 40 vel 50 sp. salis commun. tanta urinae copia prodiit, ut duplo, imo quandoque triplo, potum assumptum superaret, et homo sanatus est. *Miscel. curios. dec. 2. ann. 3. obs. 110.*



cent: humores enim resolvendo, materiem morbi suppeditant. Spes autem secundae valetudinis vix ulla, dum humor excretus e-poto minor est.

34. Hydropicorum cutis plerumque arida est, perspirabili fere omni vapore in cavum hydropicum effuso. DIAPHORESIS igitur au-cta detrahitur hydropis materies, et sanguis a nimio seroso humore repurgatur. Hunc scopum attingere optima est *Celsi* metho-dus (p): “ evocandus est sudor, non per exer-  
“ citationem tantum, sed etiam in arena calida  
“ (q), vel laconico vel clibano (r), similibus-  
“ que aliis, maxime enim sunt utiles, naturales  
“ et

(o) Foeminam pauperem, 50 annorum, cui venter ex urinæ paucitate intumuit, post datum catharticum hydragogum, iussi ut caperet mane et vespere uncias duas cerevisiae, in qua infundebantur bacc. juniper. atque alia diuretica, et grana 8 pil. mercur. h. f. : ex eorum usu urina copiose effluxit, et in-tra 15 dies convaluit.— Duae vel tres parvae mercurii doses homini ascite et anasarca laboranti, a patre meo anatomiae professore datae, omnem eamque magnam aquae copiam per diuresin una nocte eduxere.

(p) *Celsi*. lib. 3. cap. 21.

(q) *Dampier* in itineribus suis maritimis narrat, se in insula California hydrope laborasse, et seipsum arena calida obdu-xisse per horam integram; deinde ad lectum vectus multis pannis tegebatur, unde sudor copiosus evocatus est, postea in-dies se melius habebat.

(r) Asciticus quidam, sudando copiose in clibano sp. vini parato, dum diaeta uteretur sudorifica per dies viginti, et post quartam quamlibet dosin catharticum hydragogum fumeret, liberatus est. *Riverii obs.* cent. 4. obs. 19.



“ et siccae sudationes.” Huic usui etiam conveniunt.

a. Frictiones et exercitia, § 20. β. ut omnibus notum.

b. Stimulantia, § 20. δ. praecipue quae oleo subtili vel sale volatili impregnantur (s).

c. Balsama naturalia, § 32. δ. commendata.

d. Mercurius, ejusque praeparata, cutis poros referant, humoresque expellunt.

e. Antimonium, ejusque praeparata, validissime saepius per cutem humores evacuant.

f. Opium largiori dosi eosdem praestat effectus (t).

g. Ut medicamenta quaecunque diaphoretica, aut sudorifica, munere suo fungantur, in cutem dirigenda est eorum operatio, non solum aërem frigidum arcendo, sed et superficiem corporis calidam servando vestibis solito crassioribus, stragulis lecti pluribus, po-

## D

tu

(s) Joan. Tackler hydropicus ex usu *sp. sal armon.* in sudores copiosissimos diffluere, et urinam abundantissimam excernere coepit: subsidente tumore, ad reliquarum evacuationem data hydragogi dosi una aut altera, intra paucos dies convaleuit. *Binningeri cent. 1. obs. 76.*

(t) Une femme lassée de la longue maladie de son mari hydropique, lui ayant donné 15 ou 20 grains de laudanum, il sua extraordinairement, urina du même, et fut guéri. *Mem. de l'Acad. 1703.*



tu calido; fovendo cutem vapore aquae calidae, vel potius vapore spiritus vini accensi.

35. Etsi salivatio ope mercurii excitata multum debilitet, et humores in aquosum laticem dissolvat, aliquoties tamen hydropicos sanasse fertur (*u*): quare, etiam in hydrope aliorum medicamentorum effectus eludente, salivatio urgenda est.

36. Quae haecenus laudata sunt medicamenta excretionibus urgentia, ea omnia, et eodem nisu, humorum ex cavis absorptionem validissime promovent.

37. De absorptione in hydrope adeo necessaria notare licet, 1. Vix illam effici, ex cavo cujus parietes distentione ab infarcta aqua quasi rigescunt: vel enim laxandi sunt parietes isti, vel arte auferenda est humoris portio priusquam venae patulae humorem recipiant. 2. Medicamina eo certius et fortius operari, quo propius parti hydropicae admoveri possunt.

38. Caveat

(*u*) Un homme de 25 à 30 ans étant attaqué d'hydropisie, ascite, et anasarque, n'ayant pu être soulagé par aucune des moyens dont on s'étoit servi, fut aussi guéri par la ponction, et par la salivation: je passai à l'usage de ce dernier remède, parceque ni la ponction, ni tout ce qu'on avoit fait, ne débarrassoient point les parties extérieures. *Du Verney Memoir. de l'Acad. de sciences, 1703.*

Homo hydrope laborans, curatus fuit salivatione forte fortuna inducta per mercurium cum pil. purgantibus datum, quae per 14 dies duravit. *Miscel. curios. dec. 2. an. 4. obs. 36.*



38. Caveat medicus ne putet, excretiones aquosas omnes, a medicamentis inductas, aegro proficere. Si enim a solo sanguine fiant sine diminutione tumoris hydropici, qua sola cognoscitur debita absorptio, aegri vires exhauriuntur, sanguis solvitur; nulla autem morbi fit medela, sed e contrario in pejus omnia ruunt.

39. Fit quandoque hydrops in cavis, § 2. N<sup>o</sup> 2. quibus natura effinxit emissaria, quae vel obturata, vel concreta, denuo recludenda sunt, e. g. os uteri, ductus salivarii; sed singulis hisce propria convenit medela, quae hujus non est loci.

40. Idem statuendum de emissariis arte factis; haec enim diversa excogitantur secundum varium hydropis situm, speciem, &c.

41. Evacuata e cavo aqua, praecipue si subito exinanitio fiat, a parietibus cavi adjacentibusque partibus tollitur pressio; liquores a corde impulsi igitur in arterias ruunt majore quam antea copia, vel in cavum stillaturi, vel vasa vi debita et compressione vicinarum partium destituta distensuri, unde inflammationes, gangrenae organorum infarctorum, et copia humorum euntium ad reliqua organa adeo diminuta, ut actionibus et functionibus



ctionibus imparia sint, unde turbata respiratio, digestio, debilitas, et id genus alia symptomata.

42. Obviam igitur eundem malis § 41. descriptis, vel 1. lente partitisque vicibus humorem educendo; 2. tantam pressuram in partem, unde emissã est aqua, faciendo, quantum humor intus contentus antea fecerat; 3. per roborantia, quorum pleraque jam a nobis memorata sunt, reliqua in singulis hydrophis speciebus aptius describentur quam hic.

43. Licet per methodos propositas aquae hydropticae exhauriantur, in vado nondum est aeger; facillime enim MORBUS RECIDIVUS fit, et qui semel fuit hydropticus cautelam adhibere debet summam, ne iterum infaustis obruatur aquis.

44. Persistendum igitur diu erit hydroptico ab aquis liberato, in usu corroborantium, caeterorumque remediorum, quibus morbus fugatus est, sensim subducendo evacuantia, et augendo doses corroborantium, nisi a rigiditate morbus ortum ducat, donec corpori antiquus vigor restituatur, tuncque immerfiones subitaneae in aquam frigidam, antea prohibi-  
tae,



tae, § 20. usurpari possunt, ut firma red-  
datur fibrarum compages.

45. Parietes cavi hydropici vitae necessarij  
comprimendi, sustinendi et roborandi tamdiu  
sunt, donec vis et robur fibris atque vasis, ex  
quibus constant, restituantur.

46. Si cavum sine vitae periculo, aut mul-  
to aegri incommodo extirpari vel carne op-  
pleri possit, id ope chi urgicâ statim post a-  
quam eductam perfici debet; plures enim  
sunt casus, ubi non alia via praecavetur nova  
humoris collectio.

47. Sciens omitto enumerationem sympto-  
matum saepius hydropem comitantium, vel  
ab eo inductorum; quae autem non sunt  
morbi hujus consequentiae necessariae, ea e-  
nim infinitam suppeditarent dicendi materi-  
em, nostro proposito inutilem.

48. Quum de *diagnosi, prognosi et thera-  
peusi* hydropis agerem, saepius innui genera-  
lem de hoc morbo doctrinam, curationi diver-  
sarum ejusdem specierum non sufficere, hae i-  
gitur nunc ad examen revocandae, ut pensum  
absolvam.



## P A R S A L T E R A.

DE HYDROPIBUS GENERIBUS, EO-  
RUMQUE SPECIEBUS.

49. Aquae hydropicae cavis excipiuntur, quae vel cum aliis ita communicantur, ut ex uno in aliud humoris diffusio prompta fit, vel quae clausa sacco impervio cinguntur. Non inepte igitur hydropis duo genera constitui possunt, *diffusum* nempe et *saccatum*.

## S E C T I O P R I M A.

## DE HYDROPE DIFFUSO.

50. Sedes praecipua, et fere unica hydropis diffusi, est cellulosa illa tela, quae sub cute, circa musculos, vasa, nervos, viscera adest, quâ denique omnes corporis partes ad se invicem connectuntur.

51. Tela cellulosa ex lamellis tenuissimis, pellucidis, ductilibus, elasticis constat.— Et si vasis et nervis propriis destitui videatur, innumera tamen vasa arteriosa et venosa majora, nec non minora exhalantia, et absorben-  
tia



tia, nervique frequentes, in tela hacce haerent atque decurrunt.— Inter lamellas spatiosa sunt irregularis omnino figurae, et variae magnitudinis, in se mutuo hiantia, cellulae dicta.— Ex arteriis perpetuo in cellulas instillantur humores per venas abducendi.

52. Variam utcunque speciem prae se fert tela ista in diversis corporis partibus. Hic enim laxior ex amplis laminis et cellulis componitur, illic strictior, tenuior, brevisque est. Nunc oleum crassius, nunc subtilius, aliàs liquorem vel viscidum, vel tenuiorem continet (x).

53. *Diagnosi*, § 4—8. traditae, convenit hydrops diffusus, si notentur symptomata ex ejus sede oriunda, qualia sunt.

α. Exigua aquae copia, in quavis cellula, sensum liquidi subtus fluentis digito palpanti vix praebet, sed expresso in vicinas cellulas humore, fit fovea sensim et lente replenda.

β. Inclusa aqua pondere per cellulas distillat versus inferiores partes, quae igitur magis turgescunt et distenduntur quam superiores.

γ. Organorum internorum, hoc hydrope laborantium, diagnosi, ex laesis eorundem functionibus unice petenda est.

#### 54. Hydropis

(x) Qui plura de tela hac cellulari cognoscere velit, adeat dissert. de telae cellulosae dignitate *Schobingeri*, Gotting.



54. Hydropis diffusi *causae*, § 10—15. enumerantur; *prognosis* vero ex principiis § 16. memoratis elicitur.

55. Nec in *indicationibus* curationis, § 17. quicquid mutandum est; sed in *therapeusi* notari meretur, absorptionem facilius fieri ex tela cellulari quam ex faccis clausis, ob majorem in illa venarum copiam, et largiora earundem oscula, et ob minorem plerumque ab aqua in unaquaque cellula pressuram: hinc, caeteris paribus, citius pharmacis cedit hydrops diffusus, quam faccatus.

56. Frequentissima, et maxime manifesta hydropis diffusi species est quae *intercus* dicitur, a Graecis *ανασαρκα* et *λευκοφλεγματια* (y) vocata.

57. Cum hic morbus, § 56. a generalibus hydropis causis, § 10, 11, 12, 13, traditis ortum ducit, primo intumescere incipiunt pedes, vesperi maxime, et post exercitationem, aut quum diu declives fuerint. Idem saepe tumor et ad femora pervenit, quique vesperi ingens in pedibus erat, mane, aut postquam

1748 impressam, ubi doctrinam praeceptoris mei ingeniosissimi ab Haller fusius traditam legere licet.

(y) *Araeteus*, lib. 2. cap. 1. Leucophlegmatiam ab anasarca distinguit: non vero diversi morbi sunt, neque specie, sed gradu differre videntur.



in lecto diu decubuerit aeger, minor aut pene nullus est. Horum φαινομένων facile rationem intelliget quisquis reputabit, quanta sit sanguinis pressura contra fundum siphonis istius alti, ex aorta et vena cava compositi, quum erecti stamus; cujus autem altitudo minima est, dum lecto recumbimus.

58. Procedente morbo, tumor sursum ad lumbos et ventris exteriora, dein ad externam thoracis regionem ascendit, tandem ad vultum atque manus obrepit, tunc totum corpus molli tumore grandescit, declivioribus organis magis quam caeteris distensis.

59. Impedito a quacunque causa sanguinis regressu ex organo quolibet, integrae licet sint aliae corporis partes, brevi leucophlegmatiâ tentatur hocce organum, et sensim ulterius se diffundit morbus. A vena cava inferiore, aut venis iliaticis compressis, crura; ab arctata vena cava superiore, manus, vultum, &c.; a schirrho axillae, brachium, &c. ἀνασταραίνει invadit.

60. Quocunque modo debilitatis fibræ, aut sanguine stagnante in extremis arteriis cujuscunque partis, tumores aquosi patefcunt: hinc paralyfi, contusione, torsionibus, erysipelate,

E

viperae



viperæ veneno, insectorum morfibus, &c. oedemata excitantur.

61. Scrotum et caput solæ sunt partes hydrope intercute distentæ, quæ nomina sibi propria vindicant; priorem ὑδροκνηλην, alteram ὑδροκεφαλον Graeci appellant.

62. Ab hydrope intercute distensa et macerata cute, compressis vasis, nervis et musculis, calor et sensibilitas cutis, atque musculorum vis adeo minuitur, ut quandoque, inconscio aegrotante, ipsa cutis amburatur (z), et aeger priorum membrorum pondere gravetur, artuumque motus impos fit.—Vasa subcutanea arctata materiem perspirabilem retinent, et sanguinem in aliena loca effundunt, unde maculae rubrae, et fugillationes cutis: generalis autem si fiat, ab effusa aqua, vasorum coarctatio, impellendo sanguini impar fere evadit cor; ad praecordia igitur et in pulmonibus aggeritur sanguis, anxietatem, anhelationes, aliaque symptomata excitans, praecipue motu aut exercitio sanguinem redcem impellente.—Ita saepe cutis distrahitur, ut per poros ejus et superincumbentis cuticulae viam sibi faciat stillans humor (a).—Si  
impervia

(z) Boerhaave in comment. in inst. med. ab Haller ad § 416.

(a) Ita a se saepius visum affirmavit mihi pater.



impervia fit cuticula, in vesiculas allevatur, quae cito disrumpuntur, et frequens aqua e cute fluit (*b*).—Quando interclusa est omnino sanguinis in cute via, gangraena inducitur.—Stagnantis humoris particulae putrescentes, subtiles, acres factae, vicinas partes erodunt, et sanguini admistae, fitim, febrem, hujusque consequentias multiplices excitant.

63. Nunquam fit generalis *ανασάρκα*, quin tela cellularis etiam viscera ambiens, aquâ distenditur; unde horum functiones laesae varia alia symptomata exhibent, quae enarranda sunt, quum de interno hydrope diffuso differemus.

64. Omisissis prognosi, utpote facillimae ex dictis indagationis, et repetitione indicatorum, ad therapeutim accedo; in qua pertractanda hic et ubique, viam nunc memorandam insistere decrevi. Quae remedia parem vel majorem praebent efficaciam in aliis hydropis speciebus quam in ea de qua nunc sermo est, ea vix nominata percurro; sed quae plus valent in hac quam in alia quacunque specie, plenius indicaturus: ut et specimina quaedam formularum medicamentorum in notis subjungam. Sic quidem

(*b*) Tale exemplum nuper vidi.



dem fiet, ut remedia singulis speciebus maxime idonea enarrando, tandem pleraque in hydrope usitata recitabuntur, ita et quaevis pagina nimiâ formularum farragine non gravabitur.

65. *a.* Corroborantia, absorptionem augentia, externe adhibita, meliores effectus edunt in hydrope intercute, quam in alio quocunque, utpote parti morbidæ quam proxime applicata § 37. 2.

Frictiones, suffimenta stimulantia (*c*), aromata (*d*), spirituosa (*e*) assidue applicari debent.

*b.* Fasciæ expellendis humoribus fibrisque sustinendis aptissimæ hic sunt, præcipue si pars una aut altera tantum tumeat.

*c.* Diaphoretica et sudantia quæ sedem ipsam morbi exagitant, apprime utilia in anasarca

(*c*) R. Pulv. benzoin, q. f. vel R. thur. mastich. fuccin. ana p. æ. misce: fiat pulvis, paulatim carbonibus incensis, intra caminum injiciatur, et fumus excipiatur panno laneo, donec bene caleseat pannus, cuti mane et vespere affricandus.

(*d*) R. Pulv. subt. summit. absinth. unc. iv. cret. alb. unc. viii. misce. Pulvere hocce aspergatur pannus, quo circumligandæ sunt partes hydropicæ, h. s. vel R. pulv. subtil. cinamom. sesquidrach. nucis moschat. drach. ii. camphoræ scrup. ii. misce. Admisceatur hicce pulvis cum gossipio inferendus, inter duplicatum linteum, ex quo conficiantur tibialia, vel manicæ funiculis adstringendæ.

(*e*) R. Spirit. vini camphorat. unc. iv. spirit. salin. aromat. drach. i. misce. Affricetur, q. s. parti tumidæ bis de die.



farca saepe fiunt, five fudor a solo calore, § 34. eliciatur, seu etiam devorentur stimulantia (*f*), parata ex antimonio (*g*), mercurio (*b*), opio (*i*), vel aliis.

66. Hisce, § 65. interponantur corroborantia, cathartica, caeteraque jam in priore differentiationis hujus parte proposita pro hydrope remedia, de quibus postea speciatim agemus.

67. Etiam si debita adhibeantur remedia, § 65. 66. commendata, increfcit tamen quando-  
que

(*f*) R. Spirit. corn. cerv. semiunc. cujus aeger sudationi accinctus hauriat gutt. LXXX. in quovis liquore vinoso tepido, et gutt. XL. omni postea quadrante horae.— vel R. julep. e camphor. (*phar. Lond.*) lib. sem. tinct. serpent. unc. i. misce. Propinanda est primo uncia una, et postea unc. sem. omni semihora ad tres vel quatuor vices.— vel R. Spirit. minder. unc. viii. sal. vol. c. c. gr. XL. syrup. toltutan. unc. ii. misce. hauriat unc. ii. statim cum in lectum se receperit, et unciam unam omni dein semihora.

(*g*) R. Vin. antimon. emetici semiunc. capiat. gutt. XL. in feri lactis vinos. unc. ii. et reit. dosis omni hora, si ferat ventriculus.— vel R. kerm. mineral. gr. ii. theriac. andromach. drach. i. misce, pro dosi.

(*b*). R. Turpeth. mineral. gr. i. diascord. semidrach. ol. still. menth. gutt. iii. misce pro dosi.

R. Calcis antimon. vulgo antimon. diaphor. non lavat. semidrach. mercurii corallin. (*pharm. Lond.*) gr. vi. misce. terantur in pulverem subtil. cujus sunt gr. vi. pro dosi sudofera.

(*i*) R. Pulv. Castor. gr. xv. sal. succin. gr. v. sal. vol. c. c. gr. vi. opii crud. gr. ii. syrup. e cortice aurant, q. s. fiat bolus h. s. devorandus.— vel R. tartar. vitriol. sal. nitri ana scrup. iv. funde in crucibulo, pulveriz. et adde pulv. rad. ipecacuan. opii ana scrup. i. ol. still. menthae gutt. ii. misce. Dosis est a scrup. i. ad gr. XL.



que anasarca, et non nisi emissario arte factò educenda est aqua.

α. Detracta cuticula per applicatum emplastrum vesicatorium, cutis quandoque uberrimam aquam profundit (*k*); sed quum nimium detecta cutis superficies gangraenae obnoxia fit, aliae methodi huic anteferendae sunt.

β. Veteres ferro candente cutem inurebant (*l*), recentiores autem pro ferro igneo causticum potentiale dictum substituunt. Eschara vero, ab utroque inducta, aquam non transmittit; expectanda igitur est vel escharae lenta secessio, dum interim morbus vires acquirit eundo, vel incisio aut excisio escharae est instituenda: hinc inutilis erat ustio.

γ. Etiam *Galeni* tempore punctiones magis quam ustiones medicis consuetae erant (*m*), et illae quidem frequentem lympham saepius dimittunt (*n*).

δ. Plerique

(*k*) *In River. obs. commnn. a Jacoz. obs. 21.* Historia narratur aegri, qui, ab admotis vesicatoriis, in multis partibus sanatus fuit.— Ipse quidem vidi juvenem anasarca laborantem, e quo aqua omnis educta fuit vesicatoriis cruribus applicatis, sed, gangraena superveniente, mortuus est.

(*l*) *Celsi, lib. vii. cap. 15.*

(*m*) *Galeni comment. in Hippocrat. aphor. vi. 27.*

(*n*) Exstat historia hominis hac methodo sanati, *Willis de anasarca, Pharam ration. p. 2.*



δ. Plerique recentiores *Celsum* (o) secuti, ipsos tumores altis plagis incidunt, e quibus latex aquosus stillat (p).

ε. Veteres Ægypti feruntur (q) introduxisse per cutem acus fila trahentes, relinquebant autem in vulnere fila ne coalesceret, ita aqua continuo fluxu diu noctuque effluebat omnis. Aliis in usu est pisum, vel tale quid in incisuris detinere, ne claudantur. Sed gangraena ab intrusis metuenda est.

68. De foniculis, § 67. cautelae quaedam observandae sunt.

a. In declivioribus semper partibus faciendi, ut aquae facilior sit exitus.

b. Evitentur in hac operatione venae, nervi, tendines, similiaque organa.

c. Moderandus est aquarum effluxus, secundum aegri vires, ne curatio mortem acceleret (r); aegrum igitur quovis modo sustineri oportet; et si nimius videatur humor emissus,

(o) *Celsi, lib. 3. cap. 21.*

(p) Vide exempla hydropicorum per incisiones sanatorum. in *Mead. mon. cap. viii. et Shaw ad § 1242 aphorism. Boerhaav.*

(q) *Boerhaave in comment. in instit. ab Haller. edit. in § 416.*

(r) Quod accidisse ingenue fatetur, *Mead. in mon. med. cap. viii. semel sui ipsius non satis caute aegri robur aestimantis, atque iterum chirurgi temeraria culpa.*



emissus, emplastris et fasciis idoneis aquae inter per fonticulum intercipiendum est.

*d.* Olim observavit *Hippocrates*, ulcera hydropicorum non facile sanari (*s*); ideoque ea calefaciente medicamento illini jubet (*t*); et ne cutis vicina aquâ calidâ, acri, perpetuo perfusa inflammetur, unde dolor, et metus gangraenae, linimento (*u*) obtundente defendenda est.

*e.* Si gangraena ulceri superveniat, externis et internis medicamentis huic morbo idoneis profliganda est.

67. HYDROCELE externa quam distensio aquosa cutis penis saepius comitatur, in immanem quandoque molem adaugetur ob laxam cellulofam scroti fabricam, sed solum nomen sibi proprium vindicat (*x*); nisi notham ejusdem

(*s*) *Hippocrat. aph. vi. 3.*

(*t*) *Hippocrat. de locis in homine, cap. 36.*

(*u*) R. unguent. alb unc. i. liquefcatur leni calore, et ab igne remoto. adde balsam. oppodeltoch. drach. i. misce. vel R. unguent. e lapide calaminari sesquiunc. balsam. peruv. drach. iii. camphor. in spirit. vin. solut. drach. ii. misce. s. a. Exsiccatae cuti applicetur linimentum super linteam extensum, vel manu cuti affricetur.

(*x*) Vir generosus scrotum contudit, unde tumorem per 20 annos in scroto gestabat. Tandem ad molem capitis infantis aucto tumore, interna evacuantia, et externa discutientia frustra sustinuit; sed evacuata exigua aquae copia, e vulnere lanceola inflictâ, et applicato pulvere cretae et absinthii, atque interpositis paucis catharticis, sanatum vidi.







dominalium viscerum tunica, aut in mediastino vel pulmonibus.

72. Quum fit hydrocele diffusa interna in CHORDA SPERMATICA, sentitur tumor mollis, profundus, oblongus, inferne crassior, digitis cedens, ad testem descendens, dum aeger stat vel sedit: cum autem recumbit, tumor decrescit, et cylindricam potius affectat figuram; si vero in abdomen decumbentis reclinat scrotum, tumor fere evanescit; brevi autem redit, cum homo erigitur.

73. Causae hujus hydroceles, § 72. sunt  
1. Humor ex tela cellulari pone peritonaeum ad inferiora stillans.— 2. Paralyfis musculi cremasteris, aut debilitas quaecunque chordae spermaticae.— 3. Venae spermaticae compressio, arctatio, aut debilitas.

74. In therapeusi nil peculiare obtinet, nisi quod, 1<sup>mo</sup>, Fascia suspendente, bene sustinendum sit scrotum.— 2. Incisurae vix faciendae, ne vulnerentur vasa spermatica.

75. Aqua in tela cellulari inter *musculos abdominis* et *peritonaeum* diffusa, vix dignoscenda est; semper autem adest, quum anasarca ad thoracem usque ascendit, et saepe cum hydrocele invenitur.

76. MESEN-



76. MESENTERIUM cellularisque ventriculi et intestinorum pars in anasarca universalis semper aquâ distenditur, et in ascite saepius idem fit; unde saepius vidimus ventriculum et intestina asciticorum, alba, laxa, crassa et ex singulis incisuris membranarum aquam effluentem.— Si igitur diu comprimatur quocunque modo vena portarum, aut debilis fiat ductus alimentarius et mesenterii compages, aut major fit in sanguine colluvies lymphatica, quam in cavum ductus illius arteriae dimittant, in cellulis colligitur, molem organorum augens, vim autem eorum minuens; et cedentibus arteriarum osculis, nimia humoris copia in ventriculum et intestina effunditur. Hinc appetitus prostratus, ciborum imperfecta concoctio, diarrhoea, lenteria, &c.

77. Difficillime se patefacit haec species hyropis diffusi, § 76; nam ab anasarca vel ascite inducta, ab iisdem occultatur; solitaria autem alias ventris aegritudines mentitur; si vero causae jam recitatae praecesserint, atque mollis, aequabilis, sensim increscens, vix mutabilis abdominis distentio succedat, suspicari saltem licet huncce morbum adesse.

In historiis aegrorum, qui primo anasarca, dein ascite subito detenti dicuntur, et qui sani evaserunt,



evaserunt, a fonticulo omnem aquam effundente, merito hariolari licet, potius a mesenterii hydrope, quam a vero ascite abdomen intumuisse.

An effatum Hippocratis (z); leucophlegmatiae superveniens diarrhoea fortis solvit morbum, potius huic quam aliae hydropis speciei conveniat?

78. Diaphoretica, diuretica, quae caeteris hydropis speciebus, huic etiam medentur; sed a corroborantibus et catharticis, secundum § 37, 2. majores hic quam alibi effectus expectandi sunt; et abstinentia a potu, omnibus hydropicis salutaris, maxime necessaria est, quando ductus alimentarius lymphæ obruitur. Sed de hisce nunc dicere nolim, quia postea commodior dabitur occasio.

79. Ab aqua in MEDIASTINO (a) sensus adest ponderis molesti, non autem doloris in medio pectoris; situm mutat ponderans, secundum corporis situm erectum, decumbentem, supinum, aut pronum.— Compressis oesophago, trachaea, et pericardio, difficilis fit deglutitio, et actiones pulmonis et cordis turbantur.

80. Vix

(z) *Aphor.* vii. 29.

(a) *Mead. mon. med.* c. viii. Aquam in mediastino se vidisse asserit.



80. Vix, nisi a mutatione ponderis, distingui potest hicce hydrops ab aliis morbis medium pectus infestantibus: sed quum in universali anasarca semper adsit, symptomata hujus morbi auget, eandemque medelam capit.

81. Si dignoscatur morbus, § 79, remedia corroborantia et evacuantia eludens, non alia aquae educendae methodus est, quam sternum terebratione pervium reddere; nimis autem audax operatio haecce est, quam ut in tali dubio casu usurpetur.

82. Inflatis pulmonibus, tota eorum cellularis fabrica in bronchos apertis osculis hiare videtur, quae igitur aqua in cellulas effunditur, cito per tussim rejicitur; sed in humorali, vulgo dicto asthma, anastamofin hanc occludi fere concludere licet; nam infarcti diu pulmones vim magnam coacervatae lymphae reddunt. An non est haec species aliqualis hydropis diffusi, emissaria tandem referantis? utcunque certe humorale illud asthma causa frequens est anasarcae (b), et iisdem auscultat remediis.

P A R S

(b) Insigne tale exemplum prostat in *Med. Essays*, vol. 3. art. 25. a patre meo tractatum, ubi ab infarctis pulmonibus anasarca oriebatur, et arteriarum vibratio cessabat, donec cathartico liberatus fuit aeger; quod ter aegrotanti contigit.



## S E C T I O S E C U N D A .

## D E H Y D R O P E S A C C A T O .

83. Sacci hydropis sedes, § 49. vel solam aquam, vel etiam organa quaedam corporis continent; illos *simplices*, hos autem *compositos* appellare licet.

84. *Simplices sacci* vel retinent structuram naturalem, vel morbo ita mutantur, ut ab eo nasci putares.

85. Prioris speciei duo tantum sunt exempla, hydrops scil. *Uteri*, et *Hydroglossum*; nam ad alias morborum classes referuntur vesicae urinariae, et vesicae felleae distensiones, utpote alium quam aquam serosum humorem continentes.

86. HYDROPS UTERI fit a quacunque materia os ejus obturante, unde sensim in cavo colligitur aquosa colluvies (c) graviditatem mentiens; a qua vix hydropem hunc recentem distinguere licet juvenilis aetatis foeminae, sed in vetula suspicionem potius crearet hydropis:  
praetumidus

(c) Mulier singulis mensibus ex utero dimisit aquam, quae sex aut octo pelves implebat, *Fernelius in patholog. lib. vi. cap. 15.*— Uterus a tumore cervicem ejus occupante hydropicus puerum 10 annorum facile recipisset, *Bonnet. sepulchret. anat. lib. iii. § 21. obs. 55.*



praetumidus uterus cum clauso ore interno, elapso graviditatis termino, haecenus latentem manifestat morbum.

87. Digitus aut catheter per os uteri sine laceratione aut nimia vi intrusus, solvit momento morbum.—Si vero dilatanti digito aut catheteri non cedat, balneis tepidis relaxandae sunt partes morbidae (*d*).—Emeticis urgenda est lymphae ex ore uteri evacuatio.—Si aegri periclitetur vita a mole aut acrimonia aquarum, dum fluctuantem sentiat digitus materiem orificio uteri incumbentem, in faccum adigendus est stylus cuspidatus cannâ instructus (*Trocar* dictus), ut retracto stylo aqua per cannam effluat, statimque postea iterum tentandum est digitum in uterum immittere: hoc facto, pro digito substituatur spongia, filo longo ex vagina pendente constricta, quo detrahatur spongia saepius renovanda, dum remediis topicis, tenui diaeta, attenuantibus et resolventibus, § 23. ε, ζ, η, θ, dictis (*e*), resolvatur tumor, aut viscida obstruens materies.

## 88. Tumor

(*d*) Comitissa de Keglewich balneis ab uteri hydrope liberata, *Miscellan. curios. dec. iii. an. 5 & 6. obs. 162.*

(*e*) R. pil. mercur. laxant. gr. x. divid. in pil. iii. dosis hujusmodi mane et vesp. devoranda.—vel R. pil. scillit. scrup. ʒ. gum. asafœtid. gr. v. mercur. dulc. g. iii. sal mart. gr. iv. syr. alb. q. s. ut fiat pil. vii. pro dosi repetend. omni mane.



88. Tumor aquosus sub lingua HYDROGLOSSUM dicitur. An sit ductus salivarius submaxillaris in faccum distensus: an faccus in tela cellulari, a ductu disrupto: an hydatidis ab alia causa non facile est dicere. Quicquid autem sit, incidendus est tumor, ut aqua evacuetur. Premendus est ductus digito antrorsum et retrorsum, ut exprimatur si quid in eo haereat. Colluendus denique faccus lenibus detergentibus et adstringentibus (*f*). Si vero recidivus fiat morbus post incisionem, ne iterum claudatur vulnus cavendum est, specillum saepius immittendo.

89. Sacci quique simplices, qui morbo figuram debent, in homine sano totidem telae cellularis cava fuerunt, § 51. 52. Obturatis enim in vicinas cellulas emissariis cujuscunque cellulae; haec distenditur unde lamellae plures juxta appositae et compactae parietes quasi membranaceos effingunt, et quo plus distenduntur hi parietes, eo plures prioribus adjunguntur lamellae, quo diutius autem apprimuntur, majorem acquirunt densitatem; hinc

(*f*) R. spirit. vini Gallici, unc. i. aq. calcis, unc. iv. mel rosar. sesquunc. misce. vel R. alumin, scrup. i. solv. in aq. rosar. unc. iii. syr. tolut. unc. i. misce.



hinc tunicae facci crassiores et densiores fiunt, pro ratione morae et magnitudinis.

90. Vasa faccorum, § 89. tenfa semper ab inclusa materia, vim absorbentem minimam possident, § 37, 1. tenuiores tantum humoris particulas in se recipiunt venarum oscula; unde spiffius stagnando devenit quod reliquum est.

91. Plerique subcutanei hydropici facci HYDATIDUM nomine veniunt, qui tendinibus, tracheae arteriae, glandi penis affident, vocantur GANGLIONES, BRONCHOCELAE SEROSAE (g), CRYSTALLINI tumores; caeterum vix quidquam, nisi situm, peculiare arrogare possunt. Eadem est ratio interiorum hydatidum, quibus adjunguntur nomina organorum quae ab iis obfidentur. Sed, quum in harum investigatione et curatione variae in diversis speciebus adhibendae sint cautelae, de singulis differendum.

92. Hydatides, § 91. propriis limitibus circumfcribuntur, pressae cedunt; sed statim, remota pressura, formam priorem obtinent.— Alternatim digitis agitatae, sensum quidem,

G

sed

(g) Bronchocele aquosa hinc rarior est, sed a celebri *Shaw* describitur, ut morbus in *Helvetia* frequens. *Boerhaave's aphorisms of the dropsy*.— Et *Schenkius* narrat sanatam a se puellam bronchocele laborantem, *lib. iii. de hydrope, obs. v.*



fed faepius obfcurum fluctuantis humoris praebent.— Vix, nifi mole functiones aliarum partium turbante, nocent; raro enim adeo acris evadit humor, ut faccum erodat, et minore abforptione fanguis non inquinatur.

93. Medicamentis internis quibuscunque, aut lenioribus externis, vix unquam dimovetur hydatis, quandoque repetitis aquae ex alto cadentis ictibus, epifpasticis (*b*), vel veficatoriis cuti tumorem cooperienti applicatis, profligatur: certius tamen chirurgi manu removetur.

*α*. Saccum excindendo. In qua operatione frustra fe torquent chirurgi, ut faccum integrum fervent; nam multo facilior est operatio, quum denudata facci superficies exterior inciditur, ut evacuetur aqua. Sacco ablato, vulnus per fyfarcofin fanandum.

*β*. Si excifio periculofa fit, ob annexas nobiliores partes internas, ex. gr. majores arterias, venas, nervos, tendines, &c. incifurâ largâ aperienda eft cyftis, vel exterior ejus pars excidenda, tumque caro ab interna facci superficie folicitanda, in quem finem frequentes

(*b*) R. acet. fort. calefact. q. f. eo madefacta spongia tumori imponatur.— vel R. finapifmi simplicis, q. f. hydatis applicand. vel R. emplaftri calidi nofocomii Edinenf. q. s. extende ad alutam, et tumori applica.



quentes incisurae, escharotica, erodentia vel stimulantia, inflammationem inducentia, adhibeantur.

γ. Si incisura fieri nequeat, vel eam non admittat aeger, punctura in faccum facienda lanceolâ, vel instrumento, *trocar* dicto, qua evacuatur humor; sed brevi a sanata punctura hydatis iterum in priorem molem, aqua redeunte, crescit; cui praecavendae prodest, 1<sup>mo</sup>, Orificium apertum retinere, ut effusa aqua e cavo fluat, et faccus sensim se contrahat, donec vel evanescat, vel ad nihilum fere redigatur (i). 2. Duri quid sacco immittere, ut excitetur inflammatio, quâ parietes vel concrescunt, vel pus effundunt, caroque pullulat, cavum impletura.

δ. Sunt qui fila per faccum acûs ope trajecta inibi relinquunt, ut lymphæ continuo ex orificiis stillet; sed incerti est eventus haec methodus.

ε. Disruptio cystis percussione mallei lignei fieri minime potest, nisi quando hydatidi subcutaneae os durum substernitur; et vix unquam hodie usurpatur; nimis enim partes

(i) In *Medical essays*, vol. 5. art. 30. legere licet historias faccorum hac methodo sanatorum.



tes vicinas contundit, et incerti admodum est eventus.

Si ab operationibus sub  $\alpha$ ,  $\beta$ ,  $\gamma$ . recitatis, metuenda sint mala, § 41. enarrata, praecavenda sunt methodo, § 42. tradita.

94. Hydatis in CHORDA SPERMATICA, five fit faccus ex cellulis factus, five portio peritonaei post herniam relicta, cujus hiatus in abdomen occluditur, signis, § 92. enarratis cognoscitur, et a hydrocele inter testiculi tunicas formatâ distinguitur, per figuram magis a sphaera recedentem, sed praecipue a situ supra testem, qui sub aqua sentiri potest; quum in altera hydrocele, testis in mediis aquis fluitans lateat.

95. Sanatur hydatis haecce, § 94. methodo proposita § 93,  $\beta$ . partem scroti exteriorem incidendo (*k*).

96. HYDROPS SACCATUS inter tendines musculorum abdominis obliquorum et transversalis, vel inter hunc et peritonaeum formatus (*l*), eandem agnoscit diagnosim, ejusque sanatio tentanda est per medicamenta in § 93. et quae postea in ascite aperto describenda

(*k*) Vid. historias sanatorum in *Medical Essays*, vol. 5. art. 22.

(*l*) Vid. *Tulpii observat. lib. 4. obs. 44.*—*Mead. mon. med. cap. viii.*



benda sunt; praecipue vero per viam, § 93. β, γ. descriptam. Quando autem aliquid sacco inclusum, per puncturam vel cannam transire nequit, incisurâ orificium amplificandum.

97. Saccus qui in cavum abdominis prominat, five peritonaeum musculos succingens protrudat, five a viscere quodam pendulo emineat, HYDROPI ASCITIS CLAUSI nomine a medicis insignitur, qui tactui edit phaenomena in § 92. et ab ascite aperto facile distinguitur, in quo fluctuans humor omnes abdominis regiones pervagatur, secundum hominis situm.

Qui peritonaeum protrudit, immobilis semper est tumor. Qui in pendulis visceribus enascuntur, in initio ad inferiora paululum delabuntur, licet tandem et peritoneo accrescant, et locum non mutant -- Si frequentes et parvae per abdomen sparsae formentur hydatides internae, difficilis admodum sunt indaginis, ab aliis enim tumoribus steatomatosis, &c. vix distinguuntur, quum fluctuans nihil sentiatur (*m*).

98. Quae

(*m*) Sennert. lib. 3. p. vi. cap. 3. § 2. — Ruysch obs. anat. chirurg. obs. 27, 46, 65. — Mem. de l'acad. des sciences 1722. — Ephem. German. 1742, obs. 94. — Phil. trans. N° 207.



98. Quae OVARIA occupant hydatides, etsi speciatim ab auctoribus describantur, nihil peculiare sibi vindicant, nec litem meretur quaestio, utrum in vesiculis, ovis vulgo dictis, an in cellulis ova involventibus aqua hydropica colligatur (n).

99. Medela morborum, § 97, 98. memoratorum petenda ex dictis, § 96. notando solum, mobiles faccos vix chirurgiam admittere.

100. In MEDIASTINO nascuntur hydatides, quae neutiquam ab aliis tumoribus ibi haerentibus distingui possunt; vel si forte detegantur, non aliam, quam quae § 81. proposita fuit, medelam capiunt.

101. PULMONUM hydatides vix dignoscuntur; nam respiratio laboriosa, tussis, anasarca, aliaque in hoc morbo observata symptomata, ab plurimis aliis causis etiam inducuntur (o).

102. Pro vesicis hisce, § 101. methodo in § 81. adjiciendum est, risum, tussim, stertutationem,

(n) *Phil. transact.* N<sup>o</sup> 140.—*Med. Essays*, vol. 6. art. 73.—Memorabilis est historia a D. Houston in *Philos. transact.* N<sup>o</sup> 381. § 3. relata, per incisionem 4 digitos longam in ovarii faccum factam evacuatae sunt 18 humoris librae.

(o) *Mem. de l'acad.* 1732, per Mr. Malcet.



nutationem, vel vomitum, eas disrumpere posse, ita ut aqua effluat, vel in bronchos per os cito ejicienda, vel in cavum thoracis, unde educi potest remediis postea enumerandis. Metuendum tamen, ne aeger in ipso risu, tussis, &c. nisu, disrumpente hydatide, suffocetur.

103. Aqua inter oculum et orbitam in sacco collecta, oculum anterius propellit, visum hebetat vel tollit. Haec HYDROPTHALMIA NOTHA a vera facile distinguitur, ubi globulus ipsius oculi distenditur. Pro curatione, vid. § 93.

104. Rariores quidem enarrantur casus, ubi aqua magnâ copiâ inventa est inter cranium et duram matrem (p), vel inter duram et piam matrem (q), aut etiam hydatidum in cerebro ipso (r). Hi quum occurrunt HYDROCEPHALI INTERIORES, hydropi in simplici sacco, § 83, 84, formato accenseri debent, et compressi cerebri symptomata inducunt; aegri scil. capitis dolore, vertigine, stupore tentantur; intentis oculis vident; frequentius lacrymantur; sopore afficiuntur, et omnes sensus hebescent;

(p) Vid. *Hist. in Bonet. sepulchret. anat. lib. i. § 2. obs. 45.*

(q) Vid. *Blancard. oper. vol. 2. p. 135.*

(r) In *Haller. disput. vol. 2. p. 845. a Bergen.*



hebecunt; tandemque convulsiones, lethargus, aut apoplexia miseros e medio tollunt.—Quum haec symptomata aequè ab aliis causis inducantur, et adulatorum crania vi aquae extendenti non cedant, conjicere tantum licet, hoc morbo aegrum conflictari; sed in infantibus, quorum ossa capitis nondum futuris conjuncta sunt, spatia inter ossa dehiscunt, et quandoque digiti sentiunt aquam fluctuantem.

105. Corroborantia, § 20 & 113; cathartica, § 32 & 112; diuretica, § 33 & 118; diaphoretica, § 34 & 65, usurpanda sunt in curatione morbi hujus periculosi, § 104, prout res exigit.—Pileo laneo, fumis, § 65, *a.* bene indies calefacto, tegatur calvaria: fasciâ constringatur caput (*s*).—Fonticulus in ipso bregmate excitetur ope epispasticorum:—fonticulus etiam in nucha apertus fervetur, intrudendo pisa vel talia in cutis vulnusculum.—Tandem, potius quam aeger inevitabili morti committatur, lanceola in cavum hydropticum immittatur, si fluctuans inter ossa sentiatur aqua, cavendo ne vulnerentur aut arteriarum duræ matris majores rami, aut sinus venosus longitudinalis superior. Evacuatâ parvâ aquae copiâ, obturandum est vulnus; nam pejores  
hic

(*s*) In *River. obs. comm. obs. vi.*



hic metuendi sunt effectus a nimia aqua semel educta, quam in alia quavis corporis parte; imbecilles enim tunicae vasorum cerebri, ejusque mollis substantia, vi sanguinis rarefcentis, et a corde impulsi, resistere nequeunt; cito igitur cerebrum sanguine irruente obruitur, si subito aquae pressura fit sublata: spongia, vel tale quid aquam transmittens pro obturamento fit; tutius enim ita sensim evacuatur humor.—Dum hac methodo educitur lymphæ, caput arctius fasciis constringendum, ut cranium pro ratione contentorum arctetur.—Si medicamina interna, excretiones augentia, aegrum adultum ab hydrocephalo interno liberare non valeant, solum, sed audax esset remedium terebratio.

106. SACCI COMPOSITI NATURLES in quibus collecta aqua hydropem facit, sunt capsulae articulorum, in quibus sunt glandulae muciferae secretioni destinatae, adeps, &c.—Cavum in quo testis continetur,—peritonaeum, viscera abdominalia comprehendens.—pleura utraque, pulmones.—pericardium, cor, ejusque vasa;—oculus, iridem, diversosque humores,—cranium, cerebrum, ejusque partes.—Du-



ra mater in theca vertebrarum medullam spinalem continet.

107. Quamvis anatomici demonstrent pleraque organa quae in hisce cavis § 106. contineri dixi, ad exteriora membranae sacco formantis collocari; tamen cum vulgo medicorum liceat nunc, pendula haec organa, tanquam in cavo sacci distensionis capacis contenta considerare.

108. Sacci hi naturales non statim in initio morbi aequae aqua infarciuntur, ideoque non ita extenduntur ac hydatides; evidentior igitur est tunc fluctuatio humoris in illis contenti, vel a motu corporis vel digito palpan-  
ti.--- Plus etiam sentitur tensio et gravitas liquoris in inferioribus sacci partibus.--- Ab agitatione aquae, et organorum plurimorum vicinitate, acrior citius evadit aqua, unde citior partium erosio, fitis, febris, &c.---  
facilius liquores absorbentur, secundum effectum in § 37, 1.

109. HYDROPS ARTICULI, genu praecipue (*t*), signis, § 4, 5, 6, 7, 8. manifestus, vix unquam medicamentis roborantibus

(*t*) Pater, in praelectionibus suis, narrat, se hunc morbum nunquam nisi in genu, ibique saepius vidisse, et se, applicatâ chartâ bibula aceto forti tepido madidâ, quater genu hydropem sanasse.



tibus internis, diureticis et diaphoreticis, raro catharticis fortioribus, cedit. Topicis plus auscultat, sudationibus scilicet flamma spiritus vini excitatis, aquis calidis, sulphureis, *Bathensibus*, *Aquisgranensibus*, *Carlsbadensibus*, &c. ab alto cadentibus,— epithematibus acrioribus § 93.---- fonticulis in vicinia defossis.— Si autem hisce resistat, aperienda est capsula incisurâ in tenuissima parte ab aponeurosis, vasis, &c. maxime libera, a qua quandoque sanatio (u); sed saepius inflammatione, febre, &c. corripitur aeger (v), et acri evadente humore ab amputatione spes sola vitae est.

110. HYDROCELE inter testis tunicas testiculum celat; hinc ab aliis hydroceles interioris speciebus distinguitur.--- Recens in junioribus quandoque sanatur suffiminibus, &c. (§ 65. a.) aut aliis discutientibus, penetrantibus medicamentis (x), dummodo simul fasciis bene suspendatur scrotum, et repetita exhibeantur cathartica.--- Si vero haec non sufficiant

(u) *Act. phys. med*, vol. viii. obs. 27.— *Med. Essays*, vol. 4. art. 20.

(v) *Med. Essays*, vol. 4. art. 20.

(x) R. rad. bryon. alb. unc. ii. fol. cicut. vulg. recent. manip. ii. misce, et coque in q. f. aq. font. fiat s. a. cataplasm. cui adde gum. ammon. in acet. fort. solut. semunc. ol. palmæ drach. iii.



ficiant per puncturam lanceolâ factam emit-  
tenda est aqua, brevi reditura ; unde haec  
imperfecta, vulgo *palliativa* curatio vocatur.  
--- Ut *radicalis* dicta sanatio perficiatur, gran-  
diori incifura aperiendus est faccus, ca-  
vendo ne cum aqua exeat etiam testis (*y*),  
haemorrhagia, si quae obvenerit, compef-  
cenda (*z*).--- Leni postea irritatione excitan-  
da est inflammatio, sine qua vix ad sanatio-  
nem perfectam perducitur morbus. Cau-  
te tamen in irritatione procedendum est ; nam  
a teste irritato febris valida, ingensque in-  
flammatiô nonnunquam excitantur (*a*).----  
Quando pus e vulnere effluit, sanationis spes  
est ; tunc enim caro, et a teste, et a tunica *va-*  
*ginali* succrescit, qua repleatur cavum (*b*).

III. In peritonoei cavo aqua collecta hý-  
drops ASCITES APERTUS vocatur ; in quo  
acrior quam alibi citius fit humor, ob mo-  
tum quo in amplo cavo agitur, ob admi-  
stionem bilis per vesicam felleam transeun-  
tis, et miasmatum putridorum ex intestinis  
exhalan-

(*y*) Vidi testem extra vulnus relictum ex quo pullans caro  
cicatrice obducebatur.

(*z*) Vid. hist. talis haemorrhag. *Med. Essays*, vol. 2. art. 14.

(*a*) Vid. *Med. Essays*, addit. ad vol. 5 p. 256.—*Sharp's sur-*  
*gery*, chap. ix.

(*b*) *Med. Essays*, vol. 5. art. 22. & addit. in quarta editione.



exhalantium.--- Humor hypogastrico in situ erecto corporis incumbit, in horizontali vero regionem lumborum inferiorem distendit, et diaphragma opprimit.---- Macerata ab aquâ viscera chylopoietica male concoctioni ciborum inserviunt.--- Vellicata aut erosa inflammantur, concrefcunt.—Compressis majoribus vasis, praecipue vena cava et portarum, inducuntur obstructions, oedemata, hydrops diffusus, &c. plurimarum partium.---- Perstricti renes paucam urinam fecernunt, unde hydropis incrementum.— Ab acris humoris particulis absorptis, fitis, tussis, febris, inflammationes, eorumque sequelae.

Periculosus hicce morbus sua utcunque habet commoda: nam, 1<sup>mo</sup>, Meliores hîc edunt effectus corroborantia interna, cathartica et diuretica, quam in alio quocunque hydrope clauso, ob rationem in § 37, 2. memoratam. 2<sup>do</sup>, Facilius et tutius per chirurgiam aqua educitur, quam in plurimis aliis hydropis speciebus.

112. Quum quo plus potae, plus fitiantur aquae, hydropem augentes, summa in therapeusi instituenda est abstinencia a potu, fitim autem fallere oportet succo acido, os  
et



et fauces eluendo, tantillo rarius hausto (*c*)—  
 Frictiones, exercitia, fasciae adhiberi debent,  
 quantum commode fert aeger.— Emetica (*d*)  
 profunt, dummodo nimis non opprimatur ab  
 eorum usu respiratio, aut caput.— Cathartico-  
 rum (*e*) repetitae doses pro viribus aegri  
 quam maximae utiles sunt.----- Emetico-  
 rum et cathartorum minores doses saepius  
 reiteratae, validiora quandoque evadunt hydra-  
 goga, quam largiores, sed diutius intermissae;  
 magnam quippe urinae copiam eliciunt (*f*).

Cum

(*c*) Novit duos illustres *Mead* gravissimo hydrope ascite labo-  
 rantes, longa istiusmodi patientia, sibi ex toto temperando,  
 ad salutem perductos, *Mon. med. cap. viii.*

(*d*) R. vin. emetic. drach. x.— R. pulv. ipecacuan. semi-  
 drach. tartar. emet. gr. iii. misce. Capiat hora sexta pomeri-  
 diana.

(*e*) R. pulv. rhabarb. semidrach. calomel. gr. vi. syrup.  
 alb. q. s. ut fiat bolus.— R. syrup. de rhamn. sesquidrach.— R.  
 syr. de rhamn. unc. i. tinct. jalap. drach. i. misce.— R. pulv.  
 rad. jalap. scrup. i. calomel. gr. x. misce.— R. elect. hydrop.  
*Medull. med. pro exercitu* semidrach.— R. pil. ex colycinth.  
*Pharm. Lond.* semidrach. form in pil. vi.— R. succ. irid. no-  
 strat. semunc.— Haec omnia cathartica summo mane devo-  
 randa.

Pro cathartorum usu in hydrope, vid. magnum *Sydenham*  
*de hydrope.*

(*f*) R. oxymel. scillit. sesquidrach. aq. cinnam. s. v. unc. i.  
 spir. lavend. comp. syrup. e cort. aurant. ana drach. i. misce.  
 Capiat talem dosin omni quadrihorio.— R. pil. mercur. laxant.  
 drach. ii. pulv. rhei elect. drach. i. ol. juniper. semidrach.  
 misce, fiat massa. divid. in pil. N<sup>o</sup> xlii. Capiat tres ter de die.  
 R. julep. hydrag. *Pharm. Nosocom. Edin.* unc. viii. Capiat  
 unc. ii. omni trihorio.



Cum catharticis medicamenta corroborantia, § 20. *d.* et diuretica, § 33. miscentur, et diebus ab alvi purgatione liberis, eadem (*g*) semper exhibentur.— Auxilii etiam plurimum a diaphoreticis (§ 65. *c.*) aliquoties obtinetur.

113. Quando multum tenditur abdominis faccus, non solum miserum aegrum cruciant dyspnaea et tuffis, a presso diaphragmate sanguinis iter per pulmones impediante, sed penitus aboletur aquae hydropicae absorptio, sola morbi curatrix: educenda igitur aqua, § 37. 1, per paracenthesin, instrumento *Trocar* dicto, medio loco inter umbilicum et prominentem ossis ischiûm spinam anteriorem institutam (*b*). Cutis lanceolâ prius incidenda quam stylus adigatur; tunc enim stylus minima vi impressus musculos perforat.—Veteres de nescio quo spiritu, cum aqua effluente, symptomataque § 41. recitata inducente, somniârunt; ideoque aquam repetitis vicibus ex asciticis eduxere: postquam

(*g*) R. vin. amar. *Pharm. Lond.* vel tinct. ad stomach. *Pharm. Edin.* lib. ii. Capiat unc. ii. ter vel quater die.— R. pulv. cort. Peruv. unc. ii. cort. aurant. unc. i. limatur. mart. semunc. syrup. e cort. limon. q. s. ut fiat elect. Capiat molem nucis moschatae mane et vespere.—R. aq. menth. piper. unc. iv. tinct. cort. Peruv. serpent. comp. *ana* unc. ii. pulv. sal. mart. semidrach. misce. Capiat unc. i. horis medicis.

Diureticorum formulas vide in § 118.

(*b*) *Med. Essays, vol. 1. art. 18.*



postquam autem a *Meadio* (i) demonstratum fuit, anno 1705, haec symptomata a sola subito ablata pressura pendere, simul et semel omnis educitur aqua, quo minus periculum est gangraenae, tympaniae, aut humoris viscerum macerantis, et, admisso aëre, putrescentis; dum cingulo idoneo (k) aequabilis incumbat contentis abdominis pressura, et quum effluit aqua, et post finitam operationem, cujus index est respiratio, quae facilior vel difficilior est pro ratione vis diaphragma in thoracem prementis.—An liquor adstringens statim abeducta aqua (l), vel eodem tempore quo effluit (m), in abdomen injectus, immunes a recidivo morbo servaret aegros, nondum satis experimentiâ constat.

Si abdomen in duo cava aqua referta dividatur per accretionem viscerum et peritonaei (n), bis peragenda est paracentesis, in utrumque scil. cavum.

114. Evacuata ex abdomine aqua, intestinalia saepius inflantur, borborygmi, tormina, anxietates,

(i) *Mead mon. med. cap. viii.*

(k) *Med. Essays, vol. 1. art. 18.*

(l) *Philos. transact. N° 472. § 3. Christopher Warwick refert foeminam a se fanatam injiciendo vini rubri Gallici (claret dict.) p. 2. aq. Bristol. p. 1.*

(m) *Vid. ibid. § 4. propositum ingeniosissimi Hales.*

(n) § 4. *Med. Ess. vol. 4. art. 30.*



anxietates, spasmi aegrum infestant: hisce sedandis vel a paracentesi, vel emeticorum aut purgantium medicamentorum operatione inductis, optima medela est *opium* vesperi exhibitum, quo etiam diuresis promovetur (o); et, ut reditus ascitis praecaveatur, diu persistendum est aegro in usu medicaminum memoratorum in § 44.

115. HYDROCELE cum hernia (p), et HYDROMPHALUS (q), non nisi appendices quasi ascitis aperti sunt, quo remoto cessant.—Si vero proxime sub cute in illis tumoribus sentiantur humor, punctura ibi lanceolâ facienda, ut emittatur aqua; caeterum eadem quae in paracentesi cautelae adhibendae, et praeterea assidue applicanda sunt ipsis tumoribus corroborantia externa, § 65, a. praescripta, ne collabentes gangraena afficiantur.—Nonnunquam cutem lacerat ipsa aqua viam sibi parans, quo casu methodo jam dicta tractandus est morbus.

I 116. Hydro-

(o) Consulendi sunt de opii in hoc morbo usu *Sydenhamus* et *Mead*. Ecce formula. R. aq. menth. piperit. unc. i. cinna-  
mom. semunc. tinct. castorei drach. i. laud. liquid. gutt. xl.  
ol. tartar. gutt. xx. syrup. althææ drach. iii. misce, pro haustu  
vespertino.

(p) Vid. *Med. Essays*, vol. 5. art. 22.

(q) *River. obs.* iv. *communi a Formio*. Duos mihi narravit casus pater, in altero aqua cutem hydromphali lacerans subito effusa est, in alio lanceola aperiatur tumor. Vid. *Schenkiî obs.* et *Bonnet. sepulchret. anat.*



116. Hydropem ascitem ficcum, vel TYMPANIAM a veteribus appellatum consulto omisi, utpote a meo proposito alienum; de morbis enim ab aqua orientibus tantum differo.

117. HYDROPS PECTORIS, scil. cavi costis rigidis exterius cincti, cum intermediis musculis tensis, brevibus, ubi neque tumor, nec motus aquarum digitis sentitur, difficilis est indaginis. Si vero sit spirandi difficultas, ponderis sensus nunc ad imum, nunc ad summum pectus, prout homo stat vel recumbit; et si fluctuans quid ab aegro in pectore sentiatur, suspicionem praebet aquam inibi collectam; quae magis confirmatur, si capacior videatur thorax ad sedem diaphragmatis (*r*).

Nescio an semper adsit signum pro pathognomicon habitum a *Riverio*, quando scil. spirandi difficultas primo somni tempore invadit, eumque intercipit, ac per noctem magis urget; procedente vero die, sensim lentescit (*s*), vel an scrotum in hoc hydropis genere attollatur, antequam vel venter vel pedes intumescant (*t*).

118. Dia-

(*r*) Vid. *Hist. morbor. Uratislav.* 1669, 1700, de hydrope pectoris, cap. i. § 7. et *Medical Essays*, vol. 5. art. 59.

(*s*) *Riverii lib. 7. cap. v.*

(*t*) *Hist. morbor. Uratislav.* 1699, 1700. cap. i. § 8.



118. Diaphoretica, corroborantia, et cathartica bonos, sed non tantos quam in ascite, edunt effectus.—Emetica meliora, sed caute usurpanda sunt, ne inter vomendum suffocetur aeger, nimium compressis pulmonibus.—Est autem a diureticis (*u*) nonnunquam sanatio; renes enim liberi urinam facilius transmittunt, quam in ullo abdominis hydrope.—Non negligendi hic sunt fonticuli inter scapulas incisi, vel fila sub cute inter costas ac trajecta; hisce etenim a gravibus morbis saepe pectus liberatur.

119. Quum morbus hisce remediis non auscultat, aperiendus est thorax altius quidem quam vulgo praescribitur, ne diaphragma vulneretur; hic enim musculus altius ascendit quam spatium inter 9<sup>nam</sup> et 10<sup>matm</sup> costam. --- Evitandus in hac paracenthesi locus, ubi sedes pleuritidis aut doloris acuti unquam fuit:

(*u*) R. rad. scill. gr. viii pulv. ari. comp. gr. x. rad. zinzib. gr. v. syrup. e cort. aurant. q. s. ut fiat bolus, talis bis die devorandus.—R. pil. pic. *Pharm. paup. Edin.* semunc. sal. succin. semidrach. ol. junip. scrup. i. fiat massa, form. in pil. lx. sint tres pro dosi ter vel quater die.—R. magnes. alb. drach. ii. Capiat in cochleari vin. amar. *Pharm. Lond.* mane.—R. bacc. junip. unc. ii. contus. affunde aq. fervid. unc. x. colat. adde aq. raphan. unc. ii. misce. Capiat unc. ii. mane et hora quinta pomeridiana.—R. ciner. genist. unc. iii. limat. mart. unc. i. sem. sinap. semunc. misce, infunde in cerevis. nov. lib. iii. post biduum cola, hauriat unc. iii. bis vel ter die.



fuit : ibi enim accrescunt pulmones pleurae, et in tali loco impossibilis est in cavum thoracis penetratio.--- Cautè educenda est aqua, quia pulmones laxi nec sanguini resistere, nec eum transmittere possunt ; cito igitur infarciuntur, et suffocatur aeger.--- Abdomen itaque cingulo comprimatur, et si magna sit aquae copia, repetitis vicibus emittenda est.--- In singulis deligationibus aër in vicinio vulneris calefaciendus, non igneis carbonibus, sed aqua fervida in vase clauso, et respirationis nisu e thorace expellendus, quum applicanda sunt deligacula (x).

120. Evacuata omni aquâ, diu ab aegro devoranda medicamenta hydropi sananda idonea, praecipua diu etica.

121. HYDROPS PERICARDII vix pro certo dignosci potest, nisi a morte ; quae enim signa hujus morbi tradidere auctores accuratissimi, omnia ambigua sunt (y). Inaequalitas scil. pulsus, tussis vel nulla vel modica et sicca, difficilis decubitus, frequens residendi necessitas, a motu oppressio ad sternum, spirandi difficultas, cum sensu doloris, et jactatione

(x) Vid. *Hist. in Willis pharm. ration. p. 2. cap. xiii. § 1. de hydrope pectoris.*—*Mem. de l'acad. des sciences 1703.*

(y) Vid. *Comment. acad. Bonon. tom. 1. p. 389.*



tionem, quiescenti autem, vel omnino, vel maxima ex parte evanescent.

122. Si detegatur pericardii hydrops, vix cedit remediis internis, et temerario ausu aperiretur per chirurgum sternum et pericardium.

123. In HYDROPTHALMIA VERA oculus paulatim intumescit, et pedetentim acies visus hebescit; tandem, si tumor multum augetur, perit omnino visus, et pars oculi extra orbitam protruditur. Interdum etiam dolor acutus in oculo sentitur.

124. Rarius vitæ infidiatur hicce morbus, sæpius vero ab eo visus perit.

125. Recens quandoque sanatur medicamentis adstringentibus et corroborantibus topicis (z), et catharticis alvum cientibus.

126. Morbo crescente, incidenda est pars inferior corneae, ut aqua evacuetur, tunc assidue applicanda corroborantia (a).

127. Aquae

(z) R. acet. q. f. ut madescat linteum, cui aspergatur pauxillum spir. vin. camphorati, ut oculo applicetur.—R. flor. camaemel. rosar. rub. ana unc. ii. coque ex vin. Gallic. rub. q. f. ut fiat epithema.—R. tutiae praeparat. drach. i. vitriol. alb. gr. iv. sacchar. Saturn. gr. ii. misce, terantur in pulv. subtil. et cum aq. rosar. sesquiunc. fiat collyrium oculo instillandum.—R. pulv. subtil. tut. drach. ii. alum. gr. v. axung. porcin. drach. iii. misce, fiat s. a. ung. cujus pauxillum inter palpebras immittendum.

(a) Vide *Blancard oper. vol. 2. cap. 13.*



127. Aquae in ventriculis cerebri, vel HYDROCEPHALI INTERNI, eadem sunt symptomata, quae § 104. et eadem curatio quae in § 105. nisi quod incisura, sine praesentissimo mortis periculo, tentari nequeat.

128. Est et prioris appendix HYDROCEPHALUS SPURIUS, tumor nempe aquosus ex occipite prominens, cujus cavum aperitur in cerebri ventriculis (*b*), immedicabilis, citoque mortem adfert. Eadem dicenda sunt de tumoribus aquosis ex SPINA DORSI vel LUMBORUM prominentibus, ubi deficiunt partes posteriores vertebrarum, et ipsa medulla spinalis in aquam degenerasse videtur (*c*).

(*b*) Vid. *Hist. in Tulpii observation. lib. 1. obs. 24. & 25.*—*Vesal. anat. lib. 1. cap. 5.*

(*c*) *Ruyfch* decies vidit hunc morbum, *obs. 34.*—*Blancard. bis vol. 2. p. 145.*—*D. Malcolm* chirurgus cohorti regiae Scotiae mihi retulit, se semel talem tumorem apertum vidisse, et statim puerum fatum suum obiisse.—Semel ipse vidi, sed morbi exitum non novi.

## F I N I S.

### ERRATA TYPOGRAPHICA.

*p. 13. l. 13. post δ. add. 2.*—*p. 16. l. 2. post 20. add. α.*  
*p. 25. l. 7. pro 32. leg. 33.*—*p. 41. l. 11. dele N°.*—*p. 58. l. 10. pro 113. l. 112.*